DE

COLLEGIO AMBIANENSI

1762-1793

THESIM

FACULTATI LITTERARUM IN UNIVERSITATE PARISIENSI PROPONEBAT

S. LENEL

IN AMBIANENSI LYCEO RHETORICÆ PROFESSOR

AMBIANI

EX TYPIS PITEUX FRÈRES

1902

DOCTISSIMO VIRO

F. BUISSON

FACULTATIS LITTERARUM PROFESSORI

IN UNIVERSITATE PARISIENSI

HOC REVERENTIS ANIMI PIGNUS

D. D.

S. L.

DE

COLLEGIO AMBIANENSI

1762-1793

THESIM

FACULTATI LITTERARUM IN UNIVERSITATE PARISIENSI PROPONEBAT

S. LENEL

IN AMBIANENSI LYCEO RHETORICÆ PROFESSOR

AMBIANI

EX TYPIS PITEUX FRÈRES

1902

DE

COLLEGIO AMBIANENSI

1762-1793

cipueque propter ærarii inopiam, qua perpetuò laboravisse civitas Ambianum videtur, rem tam magni pretii, in longius tractam, ad nihilum tandem accidisse.

Attamen postquam regentes, frustra efflagitato ut mercedem acciperent, communiter cum Principali, cui archidiaconus extemplo in speciem successit[1], Collegium reliquerant, civitas de eo posthac sustentando propriis sumptibus nihil curans, rationem aliquam inivit qua sese expediret. Quamobrem, sicut eodem tempore in multis civitatibus, Engolismæ, Aureliæ, Baionæ[2], ad ipsos Jesuitas, quibus duos ante annos rex Henricus quartus litteras patentes[3] largitus erat, in colloquium ventum est anno MDCVI[4]. Extemplo illi litteras humanas, a quinta ad rhetoricam, atque philosophiam, in classes duas divisam, ubi discipuli forent qui hanc doctrinam assequi possent, protinus vero, « quantum ad conscientiæ casus attinet[5] », theologiam docere polliciti sunt. Quo quidem inter civitatem et Jesuitas pacto, magistri illi novi in Collegio sibi tradito, auctore Episcopo et assentiente Scholastico, qui, ut videtur, de jure suo decedebat, munus suum iniverunt mense Octobri anni MDCVIII[6]. Nec dubiùm est, quamvis Chartæ nostræ de

1. *Arch. Com.* BB. 56. f. 85, 4 novembre, f. 88, 18 novembre 1599.

2. V. Boissonnade, *Histoire du Collège et du Lycée d'Angoulême,* (Angoulême, 1895) ; Tranchau, *le Collège et le Lycée d'Orléans,* (Orléans, 1893, in-8) ; Drevon, *Histoire d'un Collège Municipal aux* XVI[e], XVII[e] *et* XVIII[e] *siècles* (Agen, 1889).

3. In his litteris ad verbum scribitur : « La jeunesse non seulement sera instruite aux bonnes lettres, mais en la vertu et piété, sans dépense. » *Arch. Dép.* D. 2. Liasse.

4. *Arch. Com.* BB. 58. f. 59, 11 décembre 1606.

5. *Ibid.* BB. 58. f. 87, 1[er] octobre 1607.

6. V. Darsy, *op. cit.*, p. 248.

hoc sileant, quin Ambiani eadem illi disciplina usi sint qua in ceteris urbibus ; eam autem explicare vel æstimare non ad nostrum propositum pertinet.

Certe autem operam totam dederunt sollertiamque præstiterunt solitam ut prospere Collegio cederet. Abstinentiæ enim simulatione, ne ullus sit oneri, vel oblique, familiis sumptus, scabinis cupientibus, ad ædificium ab ipsis inchoatum exstruendum, « pecuniam a parentibus puerorum in Collegio gratis studentium corrogari », non assentiuntur [1]. At contra a civitate haud semel dona non spernenda impetrant. Modo illis ædificii, de quo agitur, perficiendi causa, mille quingentæ libræ solvuntur, modo mille de schola instruenda ad usum logicorum, qua deficiente, Collegium ii relinquunt ut Lutetiam vel alias proficiscantur. Nunc etiam conceditur area aliquis ad amplificandum sacellum, nunc decernitur sumptus ad emenda præmia [2]. Hæc enim abhinc multis annis defuerant, nullo nummos præbente. Civitatis igitur Majore, « ut disciples magis ac magis æmulentur et labore assiduo docti fiant », ducentas

1. *Arch. Com.* BB. 61. f. 164, 12 décembre 1624 : « L'un de Messieurs a dit qu'il savait de bonne part que les P. P. Jésuites ne permettraient jamais que l'on fît une cueillette chez les pères et mères des enfants qui sont en leurs écoles, nommément sous prétexte de ce qu'ils enseignent gratuitement, comme étant chose contraire directement à leur règle et institut. »

2. *Ibid.* BB. 62. f. 35, 10 septembre, 1626, f. 131, 5 juillet1629 ; BB. 69. f. 34, 22 février 1664 ; BB. 81. f. 45, 9 février 1731. Cf. J. Delfour, *les Jésuites à Poitiers,* p. 299 : « Comme il était interdit que le collège fît les frais de ces solennités (Congr. 1[re], décret CXXIII), il fallait bien attendre que des dons suffisants eussent assuré des prix assez nombreux et assez beaux. »

libras donari poscente, scabini, quibus magnæ fuit semper curæ puerorum institutio, liberaliter trecentas censent esse tribuendas.

Ceterum in dies Collegium convalescebat, scholasticis ab urbe provinciaque affluentibus, adeo ut, post viginti annos vix lapsos, numero fere mille quingenti conscriberentur[1]. Ex quo potest concludi Jesuitas, optime constitutos egregieque ut illis temporibus eruditos, cum quibus ea sola erat quæ contendere posset Parisiensis Universitas, longe præstitisse regentibus prisci Collegii, tum hac tum illac temere collectis, doctis indoctisve, nec uno animo viventibus. Quam ob causam, studiis florentibus, Collegio pueris et adolescentibus referto, civitas, sibi plaudens, Jesuitis illud gubernandi arbitratu suo facultatem largiebatur curamque remittebat.

Subinde tamen, dicta pro datis accipiens, sibi falsam imperii servati imaginem fingere gestiebat. Intra quinquaginta et centum annos semel expostulaverunt scabini ut honos debitus non ultra sibi denegaretur, quippe qui, ad audiendam rhetoricæ professoris orationem invitati, pluribus abhinc annis, tertio ordine collocarentur. Rector ergo monitus est ne oblivisceretur Collegium Jesuitis traditum esse ea condicione ut civitas, « quæ ante omnes hoc instituit et beneficiis cumulavit, eamdem auctoritatem custodiamque exerceret » qua olim Collegium ministrabat. Scabini igitur posthac non orationi aderunt, « si ante ipsos ullus locus (qui quidem erat capitulo assignatus) manebit vacuus, et si quis (id est Episcopus) ipsis præsidebit ». Perplexi

1. *Arch. Com.* BB. 62. f. 131, 5 juillet 1629.

Jesuitæ officio suo satisfacere pepigerunt, sed nihil novi actum est anno sequente. Quem exitum habuerit illa contentio ridicula nescimus, et nihil refert[1]. Jam prope in eo erant Jesuitæ ut prohiberentur quin docerent posteaque e Gallia expellerentur ; de re minima non curandum fuit scabinis : utrum enim Collegium e naufragio enataret, necne, ambigebatur.

1. *Arch. Com.* BB. 84, f. 82, 15 décembre 1753, f. 121, 28 novembre 1754, f. 124, 20 et 24 décembre 1754 ; BB. 85, f. 15, 9 janvier 1756.

CAPUT I.

QUOMODO FUERIT INSTAURATUM COLLEGIUM.

Statim ut Jesuitis interdictum est ne pueros instituerent, a Parlamentis, inter quæ eminuit Parisiense Parlamentum, quomodo collegia reficerentur regerenturque summo studio cogitatum est : non enim erat facile subitos magistros reperire. Quum autem fere centum collegia in provinciis administrarent Jesuitæ, ut vicarii eorum muneri succederent, vel alii regulares vel sæculares, ex clericis aut laicis undique properanter collecti, vel professores ex Universitatibus adsciti, vel etiam tirones opera earum informati, soli in promptu erant[1]. Quos quidem sibi parare civitas Ambianum, Lutetia non multum distante, commode poterat, dummodo cum Universitate Parisiensi, prout tectis verbis

1. V. Compayré, *Histoire critique des Doctrines de l'Education en France* (Hachette, 1879, 2 v. in-8), t. II, p. 5 et 271. — La Chalotais, *Essai d'Education nationale ou Plan d'Etudes pour la jeunesse,* 1763, p. 13-15. — Guyton de Morveau, *Mémoire sur l'Education publique avec le Prospectus d'un Collège*, 1764, p. 104. — Rolland, *Recueil des Œuvres*, Paris, 1783, p. 37. — *Nouveau plan d'études,* Essai sur la manière de remplir les places dans les collèges que les Jésuites occupaient ci-devant... (Cologne, 1762, 2 v. in-18) 1ere partie, art. I : « La prudence de la Cour ne permet pas de croire qu'elle confie désormais l'éducation de la jeunesse à aucun ordre religieux... » Art. II. Du choix des maîtres parmi les séculiers.

Parlamentum significabat, consociari Collegium ne recusaret[1].

Jussa igitur quid agere vellet proponere, non minus quam tria consilia ad procuratorem Regis detulit. Num, desiderio Jesuitarum amissorum, sicut, exempli gratia, res eodem tempore Engolesmæ se habuit, faciet ut Collegium, pecunia necessaria non suppeditata, novis magistris vexatis, in posterum miserabili languore torpeat[2]? Quidquid de novis rebus secum tacite reputet, carum habet Collegium et vehementer cupit ut bene gubernatum civibus provinciæque toti prosit. Sed argenti penuria illi maximo impedimento est.

Postquam enim compertum est fructus prisci Collegii, quibus Jesuitæ usi erant ita ut non augerentur, vix æquari

1. V. l'arrêt de la Cour du Parlement, 6 août 1761 : « Désirant la Cour pourvoir suffisamment à l'éducation de la jeunesse, ordonne que dans les trois mois... à compter du jour du présent arrêt, les maires et échevins des villes du ressort de la Cour où il n'y aurait point d'autre école ou collège que ceux de ladite société.... comme aussi les officiers des bailliages et sénéchaussées... seront tenus d'envoyer au procureur général du Roy, mémoire contenant ce qu'ils estimeront convenable à ce sujet, pour être par la Cour... ordonné le 8 janvier ce qu'il appartiendra....» Cf. Guyton de Morveau, *op. cit.*, page 32 et 105 : « Les premiers instituteurs des Collèges n'avaient pour but que de former des pépinières de Novices. Otons-en la direction aux Réguliers, mettons les Ecoles publiques dans une indépendance plus immédiate du gouvernement ... Le salut de l'Etat et l'affermissement de sa constitution... la perfection de l'enseignement et l'intérêt des sciences exigent qu'ils (les séculiers) soient seuls chargés des Ecoles publiques. »

2. V. Boissonnade, *op. cit.,* Expulsion des Jésuites et désorganisation du Collège, p. 138-177.

posse quinque librarum millibus, quæ præsto nunc essent [1], multoque minores esse quam ut Principali novemque magistris, qui docerent a sexta ad theologiam, penderentur mercedes, civitas professa est se sumptui supplendo imparem esse. Propterea, quum dubitaret an beneficiis regularibus Collegio addictis ad erudiendam juventutem uti posset, rogavit aut sollicitari quinque e societatibus monachorum quæ solebant docere in ceteris urbibus, ita ut quæque vel unum vel duo ministraret professores, aut in Collegium reponi Principalem magistrosque sæculares, qui tantum in quinque classibus litteras humaniores præciperent, dum philosophia ab Augustinianis, Franciscanis, Minimis, theologiaque a Dominicanis Lazaritisque traderentur, aut denique omnes discipulos mandari Sancti Benedicti ordinis monachis [2].

Ceterum pro sua parte Balliviæ administratores Collegium, magistris sæcularibus e certamine selectis commissum, a se scabinisque et capitulo curatum iri censebant [3]. Civitas autem, nescia quam magni essent Collegii fructus nec quo tempore iis frueretur et ædificia a Jesuitis adhuc servata occupare posset, nec quid de victu illorum fieret

1. *Arch. Com.* BB. 86. f. 105, 29 octobre 1761. Cf. f. 115, epistulam ad procuratorem Regis qua librarum quattuordecim millia declarantur (18 mars 1762) et aliam epistulam ad Rousselot (15 septembre 1763) qua Collegii fructus dicuntur esse quattuor et viginti millia librarum. V. *Appendicem*, I.

2. *Ibid.* BB. 86. f. 105, 29 octobre 1761 : « Par là on conserverait plus facilement les trois prieurés et les six bénéfices réguliers qui proviennent tous de la congrégation de Saint-Maur. »

3. V. Compte rendu aux Chambres assemblées par M. de L'Averdy, 15 mars 1763.

postquam expulsi essent, in incerto habebat quid consilii tandem caperet : nihil enim de his rebus litigiosis a Parlamento adhuc constitutum erat[1]. Quum igitur timerent ne opes ipsæ professoribus suppositisque necessariæ deficerent, ad procuratorem Regis scabini scripserunt « se dubitavisse num aliquot classes tollendæ essent, sed in urbe tam conspicua non sibi visum esse aliquid ex his tam idoneis ad pueros educandos docendosque abscidi posse[2] ».

Interea quum Lazaritæ curam Collegii administrandi respuissent[3] nullique alii monachi, « quod fama erat Parlamentum edicto sanxisse ut de collegiis mutandis prolataretur », sese offerrent, civitas denique collegium sæculare condere statuit, « in quod admitterentur solummodo professores periti ac bene morati, ad gradus Parisiensis Universitatis, quantum res sineret, promoti[4] ». Principatum oblatum interim suscepit magister artium quidam, ex illa Universitate oriundus licentiaque juris docendi præditus, « quanquam non existimaret Jesuitas perditos[5] » : quam

1. V. Darsy, *op. cit.,* p. 247-250, arrêts du Parlement des 23 avril et 6 août 1762.

2. *Arch. Com.* BB. 86, f. 115-116. Lettres des 18 et 24 mars 1762 au procureur général : « Nous avons balancé à proposer la réduction de quelques classes ; mais cette ville nous a paru trop considérable pour qu'on puisse y désirer quelque retranchement sur une chose aussi essentielle à l'éducation et à l'instruction que les classes le sont. » Cf. *Arch. Dép.* D. 3. f. 130, 6 avril 1781. Arrêt d'envoi en possession des biens du Collège. Extrait des Registres du Parlement, du 5 septembre 1780.

3. *Ibid.* BB. 86 f. 105, 29 octobre 1761.

4. *Ibid.* f. 116, 26 mars 1762.

5. *Ibid.* f. 117, 29 mars 1762.

ob causam videlicet Lazaritæ scabinis orantibus non annuerant. Nam illa tempestate facile credebatur Jesuitas, non adhuc de possessione bonorum dejectos, nec ipsos e Gallia expulsos, nec fatentes in tanto periculi discrimine sibi exitium instare, in eo esse ut postremo hostem infensissimum vincendo repellerent. Adde quod, Principali laico jam designato ad ultimum deprecante munus, in ejus locum clericus sussessit [1].

Dum ea gerebantur, civitas aliquot magistros elegit, quibus salarium annuum indixit, idemque pacisci tempore cum Principali ceterisque ad gradus Universitatis promotis, quibus opus erat ad Collegium administrandum, scholasque vicesimo die Aprilis mensis MDCCLXII aperire statuit. Sed, Jesuitis Collegium etiam tunc tenentibus, nihil de domicilio ibidem novis professoribus præbendo decretum est. Attamen, paucis diebus intermissis, magistros reliquos sibi civitas adscivit, pactionemque cum iis fecit ita ut die dicto discipuli exercerentur [2].

Ergo liquet in hoc transitu rerum incerto civitatem, sibi summum imperium arrogando et usurpando, quod ex litteris Regis patentibus Parlamentique edictis mox abdicatura erat, totumque officium explendo locumque præoccupando, e periculis multis Collegium, quod habebat proprium, fortiter eripuisse.

1. *Arch. Com.* BB. 86. f. 168, 169, 170, 20, 22, 29 janvier 1763.

2. *Ibid.* f. 117, 118, 120, 122, 123, 29, 31 mars, 5, 10, 17 avril 1762. Cf. *Arch. Dép.* D. 16. Registre, f. 1-5. Procès-verbal fait au Collège d'Amiens, occupé par les soi-disans Jésuites, et description des titres et papiers du Collège, commencé le 30 avril 1762, clos le 11 juin audit an.

Nec ea enim erat quæ non difficultates futuras, « quibus diligentissime cavendum erat », prospiceret. Scilicet metuebat ne Episcopus capitulumque litteris regiis tam cupide expectatis obsisterent consignandis ; nec minus eam angebat quod Parisiensis Universitas, quacum de consociando Collegio agebatur, « quamdam auctoritatem affectando quotiescumque res postularet, Principalem professoresque forte vellet designare [1] ». Civitas enim Picarda, ut olim, libertatis immunitatiumque amans, ad Collegium, tamdiu Jesuitis condonatum, iterum capessendum beneficio fortunæ usa esset libenter. Itaque primum declaravit « non immature consilium Collegii cum Universitate consociandi perficiendum, nec litteras patentes expetendas, antequam Parlamenti voluntas expromeretur », dein repente unanimo consensu se in consortio Universitatis fore negavit [2]. Cujus rei multis verbis rationem ostentavit, id est, se velle juvenibus bene consulere, quippe qui, post quinquennium in Collegio Ambianensi peractum, studia per duos annos et anni dimidiam partem in Universitate iterare nequidquam fastidioseque cogerentur [3].

Re autem vera civitas consociationem istam repudiavit, ne « serviliter sub alienum a suo jure privilegiisque quam

1. *Arch. Com.* BB. 86. f. 120, 5 avril 1762.

2. *Ibid.* f. 124-130, 21, 26 avril et 5 mai 1762.

3. « Les deux années et demie exigées dans l'Université pour compléter le bénéfice de la maîtrise ès arts et celui du quinquennium, jointes aux cinq années faites dans notre collège, n'offrent que la perte réelle d'un temps précieux à la jeunesse, le dégoût et l'inutilité de la répétition des mêmes études, et le désagrément pour les étudiants de se voir devancer et primer par l'ancienneté des grades, par ceux de leur âge qui auraient fait leur quinquennium dans l'Université. »

optime retinendis imperium redigeretur [1] ». Nonne enim in Universitatis mancipio esset, quæ flagitabat sibi, consortii gratia, vectigal quoddam, a Collegii Curatoribus indictum, solvi ? Quum neque Regi neque Parlamento facultas esset civitates coercendi ad collegia alienis legibus obstringenda, necesse fuit edictum mense Februario MDCCLXIII de ordinandis collegiis ex Universitatibus sejunctis promulgaretur.

Interea civitas, timens ne clam aut palam Episcopus capitulumque commodis suis adversarentur, Collegium sui juris omnino esse, nec ab ullo vindicari posse, demonstrare conabatur. Nam, ut aiebat, in Collegio, non adhuc a Jesuitis administrato, « exceptis quibuscumque spiritualibus, Episcopus capitulumque communiter cum scabinis præceptorem præcipuum tantummodo eligebant ; ..... Episcopus vero insuper de ceteris quæ ad utilitatem Collegii necessaria putabat, libellos scabinis porrigebat qui soli deliberarent statuerentque [2] ». A Majore igitur scabinisque Collegium, ut

1. *Arch. Com.* BB. 86. f. 125, 5 mai 1762 : « La compagnie délibérant, elle a unanimement arrêté de rejeter l'affiliation projetée par le projet de concordat, d'autant que les conditions, loin d'offrir l'avantage qu'on pouvait espérer de ladite affiliation pour gagner le temps d'étude, ne présentent que des inconvénients réels et un assujétissement servile qui est contre les droits et les privilèges de l'hôtel-de-ville. »

2. *Ibid.* f. 127 : « En toutes autres choses que celles qui touchaient au spirituel, M. l'Evêque et son chapitre n'avaient de part à l'élection du précepteur principal qu'avec l'hôtel-de-ville et en vertu de l'ordonnance d'Orléans ; et M. l'Evêque, pour tout ce qu'il jugeait au surplus nécessaire au bien du Collège, présentait des mémoires ou requêtes à l'Echevinage, sur lesquels l'Echevinage délibérait, avisait et statuait seul. »

decebat, ab initio administratum possessumque fuit. Jesuitas autem, ut eos hoc nomine falso appellemus, manifestum est possessione illicita usos esse, ex qua nullum jus oriri possit[1].

Quod ad Jesuitas attinet si prætermiseris, eas civitatis expostulationes non titulis certis fulciri videbis. Aliud est affirmare, aliud probare. Auctoritati quoque usus, instrumento omni deficiente, adversaria pars innititur. Quamvis autem expetat capitulum ut « jus retineat tanquam dominus spiritualis temporalisque ac capellanus Collegii, non ægre fatetur sibi uni non esse eam potestatem ut Collegii bona administret, disciplinæ consulat, studia ordinet et classes temperet, quum Regi placuerit consessum Curatorum ad hoc efficiendum instituere[2] ».

Contra vero Scholasticus nequidquam Collegium juris sui esse contendit : « Quam quidem scholam ab initio in ædibus Episcopus habuit, ob munus ipsum juventuti præsertimque novis clericis instituendis præpositus ; quum autem non ipse per se hæc munia obire indesinenter posset, huic officio præesse jussit canonicum, cui ob hoc fuit nomen Scholastico[3]. » Deinceps, auspice semper eo curanteque, Magna

1. *Arch. Com.* BB. 86. f. 126, 5 mai 1762.

2. *Arch. Dép.* D. 6. Liasse. Extrait des registres aux délibérations de l'église cathédrale d'Amiens, procès-verbal de la rédaction d'un mémoire expositif des droits du chapitre sur le Collège (14 juin 1763) : « Il reconnaît sans peine que ces droits qu'il réclame n'emportent pas nécessairement le pouvoir exclusif d'administrer le temporel du Collège, de veiller à la manutention de la discipline, de régler les études, et de faire régner la police dans les classes ; il sait qu'à cet égard il a plu à Sa Majesté d'établir un Bureau d'administration. »

3. *Arch. Dép. Ibid.* Mémoire présenté par M. Pingré, écolâtre et chanoine de la cathédrale d'Amiens sur le Collège de la même ville (12 juin 1763) : « Ce Collège, dit-il, a la même origine que la plupart

parvæque Scholæ in urbe et agris exstiterunt, quibus magistros præfecit. Inde fit ut ille Collegium, vocabulo quondam Sancti Nicolai appellatum, sibi hodie vindicet curandum pro eo jure quo, postquam Jesuitæ in illud immerito intromissi sunt, tantummodo non usus sit.

Scholasticus igitur, Episcopi interpres, scabinique, suis rebus pariter utrinque consulentes, a Jesuitis Collegium illegitime usurpatum esse consentiunt. Sed adversi inter se de hereditate certant. De possessione autem Collegii utraque pars vicissim se removeri passa est. Namque, si Magna Schola, a qua ortum est Collegium, haud dubie ab Episcopo condita fuit et, curante Scholastico, aucta est, civitas postea nescio quo tempore magistros mercede donavit et non semel nummos quam plurimos ad ædes reficiendas præbuit, ita ut sese existimaret potius parentem Collegii quam qui ejus fundamenta jecerant [1].

Ceterum, quum de Jesuitis in Collegium adsciscendis agitatum est, quamvis, æris inops, jus suum non exercuerit civitas, non eo se abdicavit : neque enim permisit Episcopum canonicosque ad rem conficiendam sui expertes esse neque pecunias ad Collegium sustentandum non contulit. In summa capitulum civitasque, ut videtur, una Collegium usuceperant, sed ita ut huic majori oneri esset.

de ceux des villes épiscopales. Ce n'était dans les premiers temps qu'une Ecole qui se tenait dans la maison de l'Evêque, parce qu'il était par son état chargé de l'éducation de la jeunesse et particulièrement des jeunes clercs ; mais, comme il ne pouvait pas toujours vaquer par lui-même à leur instruction, il en chargeait un chanoine, qui de là fut nommé *scholastique* ou écolâtre. »

1. V. Lettre à M. Rousselot, vicomte et maïeur de Dijon, 15 septembre 1763. — *Append.* I.

Nihil autem de imperio certare utramque partem Parlamenti referebat, quod custodia sua, quam civitas capitulumque pariter respuebant, Collegium Ambianense sicut cetera continere statuerat. Civitas in primis, quæ in eo erat ut Jesuitis succederet et in bona Collegii immitteretur, suis legibus id obnoxium esse cupiebat. Propterea cum Episcopo tacite collusit ut a consessu Curatorum, qui Collegium in ditione tenerent, homines alienigenæ excluderentur.

Illa igitur censuit ut consessus ex Episcopo præside, duobus canonicis, Majore, scabino consiliarioque municipali constaret, ita ut nec clerici nec legati civitatis « suffragiis impares essent », Balliviæque administratores ab eo prohiberentur, quia ii nunquam ullum jus in Collegium habuissent.

Si quidem hoc cum Universitate consociatum fuisset, Episcopo, Scholastico, canonico capitulari, Balliviæ legato communi procuratorique Regis, Majori et uni ex scabinis curandum erat [1]. Inde tantum duo inter septem suffragia civitati concedebantur, quæ a ceteris ne adeo superaretur haud immerito recusavit.

Itaque Rex Parlamentumque collegiis ab Universitatibus sejunctis Curatores imposuerunt ad varias diversasque utilitates melius accommodatos [2] : Episcopum vel ejus vicarium, Balliviæ legatum communem procuratoremque Regis, Majorem scabinumque, duos optimates [3] in perpetuum a supradictis electos, denique Collegii Principalem,

1. *Arch. Com.* BB. 86. f. 126-129, 5 mai 1762.

2. Edit de février 1763, enregistré le 5, portant règlement pour les les Collèges qui ne dépendent pas des Universités.

3. V. l'Arrêt du Parlement du 8 mars 1785 : « Les deux notables

qui partes agere primas ad disciplinam studiaque regenda, collegas monendo, posset.

Si rem prima specie judicaveris, civitatem in administrando Collegio vel majorem vel saltem numero suffragiorum parem futuram fuisse cogitabis. Namque Episcopo soli, aliis clericis non auxiliantibus, deerat imperium, necnon et auctoritas, Regisque legatis duo tantum suffragia tribuebantur. Optimates autem perpetui civitatis suæ privilegia una cum Majore scabinoque ut defenderent, Principalisque sua causa eodem inclinaret, veri simillimum erat.

Summum enim imperium Curatores obtinuisse videbantur, quibus liceret fortunis fructibusque Collegii abuti, quæ civitas, ut olim, « antequam Jesuitæ Collegium ingressi sunt[1] », sibi gerenda esse frustra speraverat, ac Principalem, professores regentesque designare locoque amovere, disciplinæ studiisque consulere, uno verbo, Collegium ab omni vinculo solutum administrare. Sed Curatoribus simul ac civitati impendebat cujusdam præfecti tutela, qui, Parlamenti nomine, quanquam aberat, custos fieri posset diligentissimus ac molestissimus. Postquam fere omnia litteris patentibus multisque edictis præscriptisque[2], præcipue de

qui seront à nommer par les Bureaux d'administration seront choisis parmi les nobles, les avocats et chefs de famille vivant noblement, âgés de trente ans, domiciliés dans la ville depuis trois ans au moins et n'ayant aucunes fonctions qui exigent résidence dans un autre lieu.» — *Arch. Dép.* D. 3. f. 168. Registre des délibérations de Messieurs composant le Bureau d'Administration du Collège de la Ville d'Amiens.

1. « Avant l'ingression des jésuites ». *Arch. Com.* BB. 86. f. 125, 5 mai 1762.

2. V. l'Edit du Roi de février 1763, l'Arrêt du Parlement, du 29 janvier 1765, portant règlement pour les Collèges qui ne dépendent

instituendis pueris, provisa erant, Curatoribus nihil novi tentandum erat nec agendum quin legatus ille approbavisset.

His legibus vincta civitas sibi verbo potius quam re satisfactum esse sensit : nonne enim, quum in discrimine esset an Collegium instauraretur, personam magnam sustinuerat, Principalem professoresque « ex consulto Parlamenti per vindicias » semel designando? Nunc vero « sibi jugum, ut ceteris, imponi ex edicto mensis Februarii MDCCLXIII[1] », ægre agnoscebat. Quod tamen Jesuitarum potentia in Parlamentum cesserat, magnum ex eo quæstum fecit, nam per Majorem scabinumque et in primis duos optimates, qui viginti et septem annos iidem exstiterunt, Collegium saltem introspiciebat summa vigilantia, nec Curatoribus vitio verti potest quod non melius illi successerit.

Consilium autem Urbis nunquam se negotiis Collegii palam immiscuit, nisi ut, occasione data, debitum locum obtineret. Ceteri vero, penes quos in Urbe potestas erat, novum Collegium maligne excepisse videntur. Primæ enim præmiorum distributioni anteactæque exercitationi magistratus municipales, « soli inter ceteros ordines pariter vocatos[2] », solito loco adfuerunt. Nec mirum est si capitu-

pas des Universités, les Lettres patentes du Roi, portant confirmation et règlement pour le Collège de la Ville d'Amiens, 21 mai 1763, les Lettres patentes, portant règlement définitif pour le Collège d'Amiens, 28 novembre 1767. — Cf. le Règlement de discipline du Collège d'Amiens, arrêté les 22 mars et 19 juillet 1763 par le Bureau d'administration. *Arch. Dép.* D. 3. f. 6 et sq.

1. V. Lettre à Rousselot. — *Append.* I.

2. *Arch. Com.* BB. 86. f. 193, 30 juillet 1763. Cf. AA. 25. p. 18, Lettre de la Ville, du 5 août 1763 : « De tous les corps invités à l'exercice elle est le seul que sa complaisance pour les professeurs et son

lum, jam absens sponte sua antequam Jesuitæ expellerentur, nunc omni spe Collegii pro sua parte regendi amissa, abstinuerit; sed alia corpora non decebat vestigia illius sequi. Haud multo post iisdem magistratibus, qui præmia donabant, postulantibus ut præcipuum tribuerent, Principalis ut ii præsentes exercitationem ornarent, de suo jure decessit, « ea condicione ut, si quod adesset corpus corpori civitatis antecellens, illius præses hoc munere fungeretur [1] ». Quæ res bene vertit, videlicet quod ceteri ordines Collegium neglegere non destiterunt.

Contra vero civitas benevolentiam magistris humanissimam præstitit. Quamvis enim iis capitationem portoriumque non remiserit [2], sicut antea Jesuitis, iterum atque iterum, velut diversis corporibus ecclesiasticisque societatibus, mitti iisdem vinum suo nomine jussit, propterea quod « magistratus municipales auctoritate sua non melius uti possent quam ut virorum civitati utilium studia excitarent ». His verbis potissimum eo tempore designabantur professores illi qui « nuper convictorium novum adhuc desideratum instituerant [3] ».

zèle pour exciter l'émulation y ait conduit : c'est ce qu'elle n'a jamais fait en pareil cas pour les ci-devant soi-disans jésuites. ».

1. *Arch. Com.* BB. 91. f. 62, 116, 24 juillet 1767, 26 juillet 1768.

2. *Ibid.* AA. 25, p. 18. Lettre à M. de L'Averdy, 5 août 1763.

3. *Ibid.* BB. 91. f. 6, 6 décembre 1765 : « Parmi ces professeurs il y en avait qui venaient d'établir un nouveau pensionnat ; c'était un établissement qu'on avait désiré jusqu'à présent ; les talents, les soins et le désintéressement des auteurs du nouvel établissement en faisaient concevoir beaucoup d'espérance ; les officiers municipaux ne pouvaient faire un meilleur usage de l'autorité qui leur était confiée qu'en l'employant à encourager ceux qui cherchaient à se rendre utiles à la cité.»

CAPUT II.

Quomodo fuerit administratum Collegium.

Collegium vix instauratum erat quum Jesuitarum obliquæ invidiæ offendit : a P. P. enim vel eorum sectatoribus discipuli stimulati in propatulo magistros novos, nondum in Collegio manentes, probris lacessiverunt[1]. Attamen res ei brevi tempore bene successisset, si sapienter administratum patrumfamilias animos sibi conciliasset. Quod quidem contra evenit.

Quam multi scholastici essent, quum Jesuitæ inviti loco cesserunt, nescimus. Dubium est illos, sicut anno MDCXXIX, numero mille quadringentos vel quingentos fuisse, sed permultos adhuc opinari licet. Ab anno vero MDCCLXII ad annum MDCCLXXXX minus quingentos, vel florentissimis rebus, constat exstitisse[2].

Civitas discipulos a Collegio defecisse, quia victus non iis suppeditaretur, semper existimavit. Atqui, Jesuitæ

1. « Ils se plaignaient de n'être pas logés dans le Collège, de ce que la trop grande communication des écoliers avec les anciens maîtres nuisait au bien et de ce qu'ils étaient exposés à des insultes en chemin pour se rendre à leurs classes. » — *Pièces pour l'histoire d'Amiens.* Compte rendu aux Chambres assemblées par M. de L'Averdy...

2. *Arch. Dép.* D. 8. Liasse. 6e Mémoire : 1764, 315 ; 1771, 414 ; 1779-1780, 474 ; 1780-1781, 491 ; 1781-1782, 463 ; 1782-1783, 486.

Ambiani, ut plerumque solebant, nunquam in ædibus convictorio instituto[1], pulcherrime processerant. Nam multi ludimagistri in Urbe domi alendos suscipiebant custodiebantque pueros, qui elementa discerent raroque ibidem studia liberalia peragerent, sæpius autem propter hoc ad Collegium mitterentur[2]. Abhinc annis quadraginta res ita se habebat Ambiani, parentibus multis liberos non in Lyceo ali educarique, recte an perperam, cupientibus. Si tamen ex convictoriis privatis, quæ tunc vigebant, ludimagistros octavodecimo sæculo artem exercentes æstimaveris, cum civitate consenties convictorium prudenter temperatum Collegio maximo adjumento futurum fuisse.

Sed ob alias causas magni ponderis non bene successit Collegio, quamvis optime constitutum plenæque exercitationis esset : in eo enim principalem, duo theologiæ professores, duo philosophiæ, unum rhetoricæ, quinque regentes secundæ, tertiæ, quartæ, quintæ, sextæ, quæ, sæpissime vel Jesuitis deerat, præpositos numerare posses[3]. Viceprincipalis propemodum, quoniam perpauci erant convictores, non necessarius, undecim post annos demum designatus est[4].

Magistri præterea initio classibus superioribus addicti, Delille, Sélis, Caboche, ingenio scientiaque excellebant.

1. *Documents pour servir à l'histoire des domiciles de la Compagnie de Jésus dans le monde entier, de 1540 à 1773, collationnés par le P. A. Hamy S. J.* Paris, Al. Picard, s. d. p. 13.

2. V. *Annonces, Affiches et Avis divers de Picardie,* 19 novembre 1770, 18 avril 1772, 13 mars 1779.

3. V. Lettres patentes, 21 mai 1763. Cf. *Arch. Dép.* D. 8. Liasse. 5[e] Mémoire.

4. *Arch. Dép.* D. 3. f. 86, 18 février 1774.

At contra Principalis, abbas nomine MONIN, pusillo animo morosoque, sui amantissimus, nulla auctoritate, non solum apud magistros, sed etiam apud vicemagistros, valens, Collegio, quod fere ad extremum gubernavit, exitio, sicut fit interdum, magna ex parte fuit. Eximiarum enim inops virtutum quæ ad illud munus explendum pertinent, omni ope nisus est occulte ut professores, Curatores Collegii legatique Parlamenti alii ab aliis discordarent.

Adde quod difficultate rei nummariæ ita premebatur semper Collegium ut magistri, sua sorte non contenti, aut ultro abirent aut ex officio neglecto amoverentur. Nam professoribus regentibusque liberaliter conductis et nulla impensa in Collegio habitantibus, quum Curatores, qui tantummodo anno MDCCLXXX in ejus omnia bona immissi sunt [1], pecuniæ semper indigerent, merces nunquam tempore certo solvebatur. « Collegium, ut aiunt, omnibus necessariis caret, magistris jam abhinc uno anno nulla merces tributa est, et exactori plus quam sex millia librarum debentur. » Itaque Collegio decem millia ad æs alienum exhauriendum anno MDCCLXVII suppeditata sunt [2]. Ob eamdem ærarii inopiam nec viceprincipalis designatus erat

1. *Arch. Dép.* D. 3. f. 130, 6 avril 1781. Arrêt d'envoi en possession des biens du Collège. Extrait des Registres du Parlement, 5 septembre 1780.

2. *Ibid.* D. 3. f. 30, 32, 14 janvier, 7 avril 1767. Cf. *Arch. Com.* BB. 90. Registre aux délibérations des Assemblées de notables, f. 51, 12 octobre 1767 : « Sur ce qu'il a été représenté que le Collège était en grand besoin d'argent, qu'il était dû plus de 1000 l. aux ouvriers, plus de 6000 l. au receveur pour avances, et le quartier échu des professeurs, il a été unanimement arrêté qu'il serait écrit à Mgr le Procureur général et à M. Cochin pour leur représenter les besoins du Collège. » Cf. *ibid.* Registres de Correspondance, AA. 25.

nec persæpe libri in usum præmiorum empti tempestive pendebantur[1]. Quæ omnia impedimento fuerunt quominus res iret melius.

Majus tamen damnum intulit quod magistri, non ipsi concordes, a Principali discrepabant, hic autem a Curatoribus, quibuscum non consentiebat legatus Parlamenti, dissidebat. Qui saltem, primus inter pares, ad salutem Collegii interesse adjutores suos nec a se nec ab aliis vexari intellegere debuisset. Contra fateor illos in præsulem malevolos, temere conscriptos, Collegii parum studiosos, nihil aliud plerosque optasse nisi ut quam celerrime illo excederent.

Curatores vero forsitan non eos sibi prorsus subjectos ab importuni ducis jurgiis satis tuiti sunt. Ceterum ipsi, ne de offensis simultatibusque privatis, quibus obnoxii natura erant, mentionem faciam, non, quantum voluissent, de Collegio bene mereri potuerunt. Quamvis enim ex arbitrio suo id administrare viderentur, si nonnullorum magistrorum contumaciam, cui frenos imponere licebat, inertiamque Principalis molestiorem omittas, a Parlamento vigilanti invidoque ne procederent extra fines edictis decretisque constitutos prohibebantur.

Ad hoc demonstrandum non necesse est multis exemplis utar. Quum epistula quadam formali[2] Joly de Fleury documenta Parlamenti legatis præberi jussisset, quibus initerentur ut de instituendis pueris collegiisque ad Curiam

19 janvier 1767 : « Il est dû cinq quartiers d'appointements aux professeurs, qui eux-mêmes doivent jusqu'à leurs aliments. »

1. *Arch. Dép.* D. 3. f. 55, 4 août 1769 ; f. 25, 19 juillet 1765.

2. 17 avril 1783. *Arch. Dép.* D. 8. Liasse.

referrent, octo commentarii ut ad hæc interrogata responderetur una conscripti sunt. Ex quibus tantum duo proferam : in uno, « quanto oneri essent Collegio mercedes institutoribus magistrisque tributæ ceterique sumptus in annum », in altero, « quales essent institutores, principales, professores, regentes aut magistri », indicandum erat. In re nummaria non operæ pretium est immorari, nam certe majori curæ Parlamento erat an omnes magistri, prout litteræ regiæ[1] postulabant, sæculares essent. Non in speciem tantum Jesuitas expelli a Rege illud impetraverat ut istos oblique iterum collegiis obrepere vel alios in vicem eorum monachos succedere sineret.

Semper, occasione data, Parlamentum animo infenso clericorum regularium vel etiam sæcularium consiliis obstabat. Quum Collegii esset ædificium quoddam, cui nomen erat « Recessus », primo a capatis (sic vocabantur Ambianenses bursarii), deinde a nonnullis, quos alebat Principalis, convictoribus non diu possessum, in hac domo vacua, ut convictorium a Rege desideratum « supplerent », hospitium in theologos, Curatorum permissu, Episcopus coadjutorque ejus intruxerunt[2]. Postea autem de convictorio pauperibus scholasticis ibidem instituendo agitatum est, Parlamentique legatus, Roussel de la Tour, Curatores reprehendit quod, Collegii publici tutores, ecclesiam partemque ædificiorum distrahendo, jure suo excessissent,

1. Mai 1763.

2. *Arch. Dép.* D. 3. f. 84, 102, 17 décembre 1773, 4 octobre 1776, Arrêt du Parlement du 7 septembre 1776 au sujet de la maison de Retraite. Cf. *ibid.* D. 9. Liasse. Mémoire à consulter de Morgan et Duval, 5 octobre 1776.

additique non illepide « se castos præsules in maximo honore habere qui sincera mente, propter caritatem, bona concessa receperint, sed bono alieno cedere non cedentibus imputandum esse caritati[1] ».

Haud injuria Parlamenti legatus Episcopo qui furtim tentabat ut rursus in manu Collegium pro sua parte haberet, animo firmo dictisque urbanis adversabatur. Præses autem ROLLAND, vir egregiæ virtitutis, qui deinceps hoc munere functus est, minus facilem se præbuit bellumque cum Curatoribus ita commissit ut, propositi nimium tenax ferocique animo ultra modum, vel quum recte cogitaret, abreptus, necessario victus sit.

Grandi epistula, qua omnia crimina iis infert, Curatores officii jurisque et potestatis non infinitæ admonet. Miratur enim quod litteras non acceperit « de difficultatibus ad administrandum Collegium attinentibus », quæ sæpius occurrere ex suorum collegarum civiumque Ambianensium querimoniis non ignorat. « Creditis, inquit, vobis imperio summo fruendum esse ; decreta ipsaque edicta, ut libet, explicatis interpretaminique ; Curatoribus solis tradatur potestas Principali propria peculiarisque velitis. »

His verbis morbum quo collegia ab Universitatibus sejuncta afflictabantur velut digito monstrat. Si quidem in numero Curatorum Principalis inscribebatur, nihil revera pollebat, quum ei adjunctus esset ex illis unus, quocum consentire, priusquam ageret, necesse erat. Ex hac igitur ancipiti administratione quid aliud quam vel occultæ vel apertæ dissensiones oriri posset ? Ut non male Collegio in

1. *Arch. Dép.* D. 9. Liasse. Lettre du 15 octobre 1776. — *Append.* II.

re tam dubia eveniret, Principali versuto constantique opus erat, qui Curatores fere inscios moderaretur. Ingenii autem id acumen abbati MONIN deficiebat.

Præses itaque ROLLAND, a delatore Principali deceptus, Curatoribus solis quod non floreat Collegium vitio vertit. Attamen voce leniore adjicit « non iis timendum esse ne potestas sua minuatur, cujus fines certos lege constitutos nonnunquam, sed raro, forte liceat transgredi, dummodo Parlamenti legatus assentiatur ».

Ita, quamvis eos his verbis permulcere conetur, jus suum persequitur et, inter cetera de quibus audivit, sibi a Curatoribus ea deliberata non per litteras tradi animadvertit, « ex quo fiat ut legem violatam illis significare, ne amplius in errorem labantur, ipse non possit [1] ». Non enim dubium est quin reipsa Curatores sine arbitrio alterius agere cupiverint. ROLLAND autem, non ignarus eorum quæ censuerant, scribit « non illis recusandum esse ne Principalis viceprincipalem eligat ejiciatque, ut fas est », atque de controversiis inter Principalem ac Curatores ortis, « legato Parlamenti communicandum esse, qui, modum rei adhibens, concordiam reconciliet ad benefaciendum quam maxime necessariam ».

Fatetur igitur ROLLAND dissensionem assiduam Collegio pertinaciter nocuisse. Etsi Curatores pro dominis se ges-

1. *Arch. Dép.* D. 12. Liasse. Lettre de Roland aux administrateurs du Collège, 4 mars 1783. — *Append.* VI. Cf. *Archives Nationales*, H, 1659, « deux pièces qui font extrait de délibérations du Collège de la ville d'Amiens et lettre à M. le Procureur général à lui envoyées en exécution de l'arrêt de la Cour du mois de mars 1783 et par lui déposées ».

sissent, Principalis se faciliorem præbuisset, Parlamenti legatus, velut postea Le Rebours, non impotens sui, callidus cautusque fuisset, res non multo melius se habuisset. Nam collegiis ejusmodi dux unus non præerat, qui simul arbitratu periculoque suo ea regere posset. Nec a pluribus ita peccatur una ut in omnium capita eventus recidat. Itaque non magno tædio fuerunt Curatoribus crimina a præside Rolland acerbe illata.

Cui responderunt non sine verecundia querentes quod « propter privatam delationem cum eo non jam in laude et gratia essent, atque indiciis, ut clandestinis, ita suspectis, semperque ex eodem fonte fluentibus, aures suas dedisset ». Adde quod nunquam « tutelam alienam detrectare » in animo habuerint[1].

Tum vero asperius retulit Rolland « non sibi otium esse accurandi Collegium ita ut in singulis consisteret », quum autem collegia in eo essent ut iterum Parlamenti consiliariis distribuerentur, « sibi nitendum esse ut unus quilibet ex iis illud onus susciperet[2] ».

Vehementer sua vice querelam habuerunt Curatores « de superioris illius libidine, ad administrandum Collegium, ut veri simile est, ob doctrinam moresque provecti, sed ingenio superbo, acri fervidoque, ad imperandum

1. *Arch. Dép.* D. 12. Liasse. Projet de réponse du Bureau à Rolland, (vers le 22 mars 1783). — *Append.* VII.

2. *Ibid.* Lettre de Rolland du 6 mai 1783 : « Etant trop occupé pour pouvoir suivre les détails de votre collège, comme nous devons faire ces jours-ci une nouvelle répartition entre nous, je vous préviens que je tâcherai d'engager quelqu'un de MM. de mes confrères de se charger du vôtre. »

inhabilem, quum ordine Curatorum, professorum discipulorumque animos a se alienaverit[1] ». Qui quidem auctor est, ut aiunt non immerito, litterarum priorum a legato Parlamenti scriptarum.

Hic, prœlio discedens victus, Curatoribus nuntiavit præsidem Le Rebours Collegii tutorem fore, sed, « omnibus Parlamenti legatis ad agendum scribendumque conspirantibus, nihil propter id de commercio assueto cum Curatoribus derogandum esse[2] ». Itaque, quamvis novus legatus, comiter ab iis acceptus, urbaniorem se præbuerit[3], mutatis personis, non meliore loco res erant. Dum enim mutuo sibi bellum indicebant Principalis Curatoresque, negotium magni pretii, de quo jamdudum agebatur, nondum transactum erat.

Civitas Curatoresque pariter optabant ut convictorium in Collegio instrueretur. Quod vero haud semel frustra, obstante Principali, tentatum est. Vix institutum erat Collegium sæculare quum Curatores asseruerunt « nihil ad augendum scholasticorum numerum aptius esse quam si in

1. *Arch. Dép.* D. 12. Projet de réponse du Bureau (le 24 mai 1783) : « .... la volonté arbitraire d'un supérieur, que la science et les mœurs ont pu appeler au gouvernement du collège, mais que le caractère haut, vif et bouillant, y rend très peu propre, en indisposant successivement tous les membres du Bureau, aussi bien que les professeurs et leurs élèves. »

2. *Ibid.* D. 12. Liasse. Lettre de Rolland, 27 mai 1783 : « M. le Président Le Rebours est chargé de votre collège, mais ce changement n'en apportera aucun aux principes d'après lesquels notre correspondance a été établie, aucun de nous n'agit et n'écrit que conformément à l'avis de tous. »

3. *Ibid.* Lettre du Bureau à Le Rebours (vers le 1er juin 1783), réponse de celui-ci, 13 juillet 1783.

Collegio alerentur pueri Urbis provinciæque commodo [1] ». Proximo autem anno; quum nonnulli magistri, in Collegio manentes, jam alumnos domi servarent, decretum est ut convictorium a Principali, præter ceteros, institueretur, atque magistri in domum, cui vulgo nomen erat « Recessus », suos deportare possent [2]. Illa enim tunc hospitio capatos excipiebat posteaque rusticanos, magis pauperes quam ut pretium convictoribus impositum solverent, exceptura erat. Principalis enim, nescio qua illiberali invidia, cupiebat ut professoribus sustentare discipulos non liceret, quanquam ipse nihil curabat ut eos impensa sua tueretur. Postquam vero ab ædibus propriis Collegii convictores non suos expulit, effecit etiam ut a Curatoribus vetaretur ne magistri convictorium, quicum sibi certandum esset, iterum instituerent, propterea quod « illi, si non totam operam darent discipulis docendis, officio suo deessent [3] ».

Nonne autem, ut ipsi dixerant olim professores, alumnis, quos domi servabant, « ab iisdem magistris vel intra vel extra scholam custodiri atque sine ulla intermissione eidem disciplinæ obsequi » utilissimum erat, nedum, sicut in Collegio, « vicemagistris male cognitis imperitisque traderentur [4] » ? Quis neget illius generis tutelam pueris adoles-

1. *Arch. Dép.* D. 3. f. 10, 27 mars 1764. — Vide de convictorio, quod eodem tempore Trecis exstitit, *l'Enseignement secondaire à Troyes du Moyen-Age à la Révolution,* par G. Carré, Paris, Hachette, 1888, p. 136, 142.

2. *Ibid.* D. 3. f. 12, 4 janvier 1765.

3. *Ibid.* D. 3. f. 51, 7 avril 1765.

4. V. *Almanach de Picardie,* 1765, p. 281-286. Avis. Pension de M. le Principal du Collège. — Pension de Messieurs les Professeurs du Collège. Extrait de l'*Année Littéraire* de M. Fréron, nº 29, 1764 :

centibusque maxime plerumque prodesse? At vero quærendum est an professor, qui alumnos domi tuetur, sensim invitus, oneri impar, eo perduci possit ut labori parcat discipulosque neglegat et quæstum in primis faciat, more mercatoris vel, ut fit interdum, Principalis sumptu suo convictorium administrantis. Quin ita se gerendo fortunas suas amplificet non dubium est; sed timendum ne aliquid ex ejus auctoritate apud scholasticos existimationeque apud omnes imminuatur.

Quum, novem post annos, « non constaret convictorium tam optatum », Curatores ut « Recessus » locaretur, et in Collegium duodecim capati transferrentur, statuerunt[1]. Eo autem tempore Episcopo oranti ut hoc ædificio frui sibi liceret, « quo se reciperent scholastici rusticani passim in Urbe apud privatos sparsi », Curatores annuerunt. « Melius

« De tous nos Collèges de Province celui d'Amiens est, sans contredit, un des mieux composés. Il y a trois Professeurs de ma connaissance, tous trois élèves de l'Université de Paris *(les autres le sont aussi)*, tous trois d'un mérite distingué; M. Gossart..., M. l'abbé de Lille..., M. Sélis... Ces Professeurs se sont réunis avec leurs Confrères... pour former en commun un Pensionnat... » Un avantage particulier à cette maison, c'est que les Pensionnaires sont, en classe et hors de classe, sous les yeux des mêmes Maîtres, par conséquent, toujours dirigés par les mêmes principes. Les caractères sont mieux connus, les devoirs mieux corrigés par le Professeur qui les a donnés lui-même... On sent quelle supériorité cette Maison doit avoir sur celles où les Disciples seraient confiés à des Maîtres subalternes, peu connus, peu expérimentés dans l'art si difficile de gouverner la Jeunesse, et qui souvent même, ayant fait des études médiocres en Province, ne peuvent que donner de mauvais principes de goût, et communiquer une prononciation vicieuse. »

1. *Arch. Dép.* D. 3. f. 82, 6 août 1773.

enim ibi moribus illorum consulendum erat[1]. » Inde brevi evenit ut « theologiæ quidam studentes in « Recessum » cum capatis — qui quidem, non in Collegium delati, ibidem simul ac rusticani permanserant — nullo jure irrepserint[2] ». Sed, ut supra dixi, Parlamentum eos expulit.

Curatores vero professi sunt se bona voluntate fuisse quum vellent partim in « Recessum » capatos rusticanosque, partim in Collegium ditiores recipi. « Rusticani enim, humili loco orti, apud quosdam cives infimos passim habitantes, ne a studiis avocarentur malisque exemplis corrumperentur, cavendum erat. » Ergo perfugium iis præberi, in quo centum sexaginta libræ tantummodo in annum persolvendæ erant, « quum Episcopus reliquam pecuniam expleret », magni æstimaverant. Quis non honori esse putabit Curatoribus magistratibusque municipalibus quod semper moribus pauperum scholasticorum consulendum esse censuerint[3]? Forte etiam Parlamentum, summo jure

1. *Arch. Dép.* D. 3. f. 84, 17 décembre 1773. Cf. f. 48, 2 décembre 1768. *Id. Almanach de Picardie,* 1768, p. 251-255. Pension pour les Ecoliers de la Campagne, dans la Maison de Retraite, dépendance du Collège d'Amiens : « L'expérience fait tous les jours connaître que grand nombre de sujets de la campagne, nés avec des dispositions heureuses, ne font point dans le Collège les progrès qu'on pourrait en attendre, parce que la plupart sont exposés à des occasions dont le moindre danger est la perte du temps, presque toujours irréparable pour les études... Les écoliers peuvent vivre dans cette maison comme dans les maisons particulières, et recevoir les denrées qu'ils ont coutume de tirer de leurs familles. »

2. *Ibid.* f. 102, 4 octobre 1776. Arrêt du Parlement, 7 septembre 1776.

3. *Ibid.* f. 103, 4 octobre 1776. Cf. D. 9. *Pièces* (imprimées) *pour l'histoire d'Amiens.* — Compte rendu aux Chambres assemblées

abusum, ne Episcopus Collegii negotiis se immisceret, impedivisse quominus convictorium illud pauperibus addictum bonos exitus haberet, moleste ferendum est. Nam neque in « Recessu », e quo illi ejecti sunt ut hoc ædificium vacuum ad discipulos quoslibet promiscue intromittendos idoneum esset, neque in Collegio ipso, unquam deinde convictorio instructo prospere successit.

Itaque, dum in ambiguo erat utrius in ditione hoc esset, nec rusticanis, quibus necesse erat ut ubivis alerentur, nec ditioribus ipsis, quibus idem optandum forsan erat, copia illa data est. Principalis enim, cui licebat multis, sive in « Recessu » sive in Collegio, hospitium præbere[1], omni ope nisus est ut vix nonnullos vel potius nullos alumnos haberet[2]. Denique, quum ei oneri essent, « valetudinis

par M. de L'Averdy, 15 mars 1763 : « Les officiers municipaux observent que plus de la moitié des écoliers du Collège sont de la campagne, fils de laboureurs assez aisés pour les y envoyer, mais pas assez pour les mettre dans de bonnes pensions. Ils se logent chez les gens de la lie du peuple qui les nourrissent grossièrement, et couchent plusieurs dans la même chambre. Ce dernier objet excite la sollicitude des officiers municipaux qui voudraient pourvoir à la conservation de leurs mœurs et de leur éducation. L'unique moyen de remédier à ces inconvénients est, suivant les officiers municipaux, d'achever les bâtiments de retraite pour pouvoir les y loger, les y nourrir frugalement au même prix qu'ils paient à leurs hôtes et y veiller à l'emploi de leur temps. » — Cf. Douarche, *l'Université de Paris et les Jésuites*, p. 17, et Carré, *l'Enseignement secondaire à Troyes*, p. 177.

1. *Arch. Dép.* D. 3. f. 113, 17 octobre 1777.

2. *Ibid.* D. 9. Lettre de Boistel, ancien administrateur du Collège, 12 décembre 1776 : « Le Principal trouvera peut-être le moyen, dans le cours de l'année, d'avoir quatre ou cinq pensionnaires qu'il ne manquera point d'annoncer comme un pensionnat qui commence à se former. » Cf. D. 3. f. 138, 1er juin 1781, Extrait de la lettre du président Rolland, 12 avril 1781 : « Il n'est nullement nécessaire que le

causa », anno MDCCLXXXV, ad parentes liberos remisit. Curatores vero, tandem defatigati, decreverunt ut « Recessus », nuper summa impensa refectus, vel gratuito, si opus esset, condonaretur « uni et alteri professori Collegii, aut quibuscumque clericis dignis habitis qui pueros alerent educarentque [1] ». At contra Principalis occulte Parlamentum in eos accendit ut nihil ageretur.

Parlamenti tamen nemo non legatus convictorio instituendo quam maxime favebat. Quamvis enim ROUSSEL DE LA TOUR Episcopo quædam Collegii ædificia invadenti obstitisset, convictores necessarios esse sentiebat. « Dum, inquit, minimæ urbes collegium, in quo alantur scholastici, sibi expetunt quam perfectissimum, cavete ne dici possit collegium urbis episcopalis, quod quidem caput est provinciæ, ut ab initio fertur, dotibus ingenii præditæ habilisque ad omnes doctrinas excolendas, insuperque divitiis inter cetera abundans, non absolutum relinqui. »

Postquam his verbis Curatorum superbiam adulatus est, de re ipsa disserit :

« Ut ad unguem institutio puerorum publica perficiatur, necesse est singula quæque provideas : quo pacto omnes pueri cum omnibus magistris in ecclesia propria collecti, populo excluso ne quoquo modo a cogitationibus avocentur,

Principal se joigne aux professeurs pour tenir le pensionnat, ils le peuvent seuls ; s'ils ne sont pas en état d'en faire les avances non plus que le Bureau, je suis persuadé que votre *(sic)* se prêterait volontiers à avancer des fonds, enfin on pourrait faire un emprunt et le Parlement se prêterait à homologuer votre délibération pour cet emprunt. » — D. 8. 6e Mémoire, 1783, 10 pensionnaires, 24 demi-pensionnaires, 12 capettes.

1. *Arch. Dép.* D. 3. f. 171, 7 octobre 1785.

oculos vertant aut offendantur, officio divino aderunt, atque præceptis exemplisque summæ pietatis venerationisque, ut locus postulat, utentur ; in eodem cenaculo quo magistri sedentes, honeste, munde temperanterque vivere assuescent ; die nocteque, in schola, ludo, dum student ambulantque, mores eorum a diligentibus custodibus servabuntur, indoles emendabitur, ingenium coletur ; uno verbo, tam multi quam seduli sibi invicem, necnon magistri, æmulabuntur. Quæ omnia non una fient, nisi convictores plurimos numerabis[1]. »

Quid mirum si legatus ille Parlamenti, ut eodem tempore a plerisque existimabatur, in collegio velut in monasterio pueros includendos esse putat ? Nonne Jansenistæ, plus etiam quam Jesuitæ, religionis morumque respectu, sæculum adolescentibus infestissimum credebant ? Ut ea autem prætermittam, de quibus jam apud Romanos Quintilianus[2] disserebat, quum mores liberorum a parentibus ipsis sæpius perdi doleret, non dubium est quin Roussel de la Tour haud immerito judicaverit nonnunquam, suo periculo, quod ad mores et præsertim studia pertinet, pueros in sæculo versari vel etiam domum paternam celebrare[3]. Non nego

1. *Arch. Dép.* D. 9. Lettre de Roussel de la Tour aux administrateurs du Collège, 15 octobre 1776. — *Append.* II.

2. L. I, ch. 2 : « Utinam liberorum nostrorum mores non ipsi perderemus. Infantiam statim deliciis solvimus : mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, nervos omnes et mentis et corporis frangit. »

3. Vide quod a quodam vetere Universitatis Parisiensis magistro scriptum est : « Le plus dangereux abus est celui de la dissipation et des rapports trop fréquents que les jeunes gens ont avec la grande société : ils vont trop souvent dans la maison paternelle... On les mène aux bals, aux promenades publiques, aux spectacles... L'enfant qui

vitiis magis indulsisse vel Romæ vel apud nos quondam nobiles divitesque quam hodie mediocri fortuna cives, quorum liberi fere soli in lyceis collegiisque nostris litteras discunt. At tamen privatis hominibus, vel honestissimis, aut otium aut voluntas aut facultas filios recte sollerterque instituendi sæpe et defuit et deerit. Si in Collegio pueri, ut decet, summa diligentia benevolentiaque custodientur, eorum animus et mens melius informabuntur ac si domi relinquentur vel neglecti vel deliciis fluentes.

Ceterum Curatores ad exemplum ex Collegio Ludovici Magni sumendum ROUSSEL hortatur, ita ut facile, excepto quod ad magistros spectat, cum nostris collegiis etiamnunc illud conferas :

« Certiores, inquit, facite omnes vobis protinus de convictoribus curandis consulendum esse, ut fidem vobis sine dubio parentes habeant. Cavete ne convictorium vel tam parvi constet ut Collegio oneri sit, vel tam magni ut parentes a majore impensa abhorreant. Dimidio minus autem constet pueris qui, parvis opibus præditi, tantummodo diem exigant pransitentque in Collegio... Medicus chirurgusque eligantur apud omnes gratiosi qui, mercede certa conducti, ut quivis futurus convictor valere pergat aut ex morbo recreetur sedulo curent. » Necnon optandum « ut valetudinarium peculiare ad pestilentiam quamcumque coercendam adhibeatur [1] ».

sort de ce paradis de délices ne trouve plus qu'un enfer dans sa maison d'étude. » Geoffroy, *Cours de Littérature dramatique,* t. VI, p. 397. — Préjugés sur l'éducation, 17 fructidor an XII (4 septembre 1804).

1. *Arch. Dép.* D. 8. Lettre de Roussel de la Tour aux administrateurs du Collège, 1er octobre 1777. — *Append.* III.

Quæ quidem omnia prudentissimi viri erant. Oportebat enim ali educarique possent in Collegio bursarii rusticanique pauperiores quam ut hospitio exciperentur a privatis hominibus dignis qui eos vigilantes custodirent. Nam hodie, ut olim, apud nos libenter hoc onus suscipientes cives, nisi ut magna lucra faciant, ægre invenies.

Sed cuncta hæc præcepta legati nihil profecerunt. Voluntas enim Curatorum inertiæ Principalis offendit, qui sibi molestos habebat convictores voluptatemque aliquam cepisse videtur quod professores impediebat ne partes a seipso despectas agerent. Quum jam octo anni elapsi essent ex quo Roussel de la Tour frustra conatus erat ut convictorium instauraretur, magistratus municipales indigne passi hoc non florere, ut Curatoribus auxilio essent, eodem die apud Rolland et Le Rebours questi sunt [1] :

« Principalis, ut aiunt, unus convictorio instruendo obsistit, quippe qui, nec communis utilitatis studiosus nec officio suo functus, nihil aliud cupiat quam in perpetuum magno ædificio magnoque horto frui, quæ sibi concedi accommodarique per causam convictorii instituendi impetraverit. »

Litteris autem ad Le Rebours missis dicitur, decem millibus librarum ad « Recessum » convictorio aptandum consumptis, non ideo melius Collegio successisse, quia « nihil de rebus domesticis singillatim tuendis provisum esset », nec « unquam disciplina illa ad regendos informandosque juvenes quam maxime necessaria usum esset ».

Affirmare quidem non ausim an Principalis ita quietis

1. *Arch. Com.* AA. 30, f. 194-195. Lettres du 14 octobre 1785. — *Append.* XII

cupidus vel neglegens vel imperitus fuerit ut detrimentum Collegio allatum ei soli crimini vertendum sit. Sed veri simillimum videtur illum oneri suscepto imparem fuisse. Non enim satis est, ad culpam purgandam, prætendere « professores sibi ita repugnavisse ut, disciplina interiore turbata, nec convictores nec *externi* ipsi Principali obsequerentur [1] ». Quam excusationem affert Le Rebours, auctore abbate Monin, qui ejus visendi causa Lutetiam profectus erat. Quidquid de istis mutuis criminationibus cogitandum est, Parlamenti legatus Curatoribus, ut convictorium a Principali derelictum rursus a magistris quibusdam institueretur petentibus, haud injuria non assensus est. « Si enim, inquit, uni professori id tradetur, timendum est ne iste invidiæ collegarum obstantium obnoxius sit; si autem pluribus, non facile est ejusmodi institutum a multis pariter imperantibus gubernari. » Ceterum necesse erat inde fieret ut Principalis nulla jam gratia auctoritateque in Collegio frueretur. Nonne enim, quod ad convictores attinet, in arbitrium professorum sibi, quod reliquum est, subditorum caderet? Contra vero ludimagistris pueros domi alentibus nec in disciplinam nec in studia fas est se admiscere, quum revera Collegio quasi advenæ sint.

Quem tamen exitum res tam dubia arduaque habitura esset Le Rebours non plane explicuit. Postquam vero significavit « Curatoribus non onus suscipiendum proprio sumptu convictores alendi, quod majori illis impensæ esset quam viro cuiquam privato », id munus vel Principali soli, vel Principali nonnullisque professoribus, vel etiam

1. *Arch. Dép.* D. 12. Lettre aux administrateurs du Collège d'Amiens, 3 janvier 1786. — *Append.* XIII.

professoribus solis, annuente illo, assignari posse concludit, sed ita ut Principalis, Collegii præsul, « utique convictorio præsit ».

Hæc autem monita vana nodum inextricabilem non solvebant. Mirum est enim quam Principalis, quo demoto res profecto in melius ivisset, omnibus, Curatoribus Parlamentoque, res sacra fuerit. Nec sperandum erat fore ut ille, mutata indole personaque, quamvis paratus videretur ad convictorium cum nonnullis professoribus administrandum, ab iis non posthac, ut solebat, dissentiret. Hunc etiam consensum suspicamur nullo modo unquam fieri posse. Itaque convictorium nemo iterum instruxit. Nam Le Rebours prohibuit ne a professoribus aut intra aut extra Collegium instauraretur, iisque minatus est, « si perseverarent orbare convictoribus Principalem, vel nuntiando sibi instituenda esse privata convictoria vel privatim discipulos extra scholam docendo, utroque interdictum iri ». Quod jure de scholasticis alendis, sed injuria de iisdem separatim erudiendis, declaratum fuit. Non enim facile intellegitur quomodo duo tam dissimilia permixta sint.

Quidquid id est, Principalis ex inimicis victoriam haud incertam retulerat. Frustra igitur Le Rebours extrema epistula Curatores hortabatur ut pacem inter utramque partem in commune bonum discipulorumque utilitatem conciliarent. Nam animis exacerbatis nec lenimentum nec remedium adhiberi potest. Quid quod etiam Curatores ipsi nec studio nec ira vacui erant ?

CAPUT III.

DE PROFESSORUM SCHOLASTICORUMQUE DISCIPLINA.

Quis vero non miretur quod sua sorte non contenti fuerint magistri, quibus Curatores, ab initio Collegii instaurati, laboris mercedem, ut illa ætate permagnam, tribuerant [1], quæ, si quidem non certo tempore, at tamen solida exsolvebatur. Anno autem MDCCLXXXIX, « propter quod omnia ad vitam necessaria pluris constarent », ducentis et quinquaginta libris additis salarium illud increvit [2]. Emeritis quoque magistris post viginti annos quingentæ libræ in annum assignatæ erant statim ab anno MDCCLXIII, præterea que « statutum ut professoribus propter valetudinis infirmitatem diuturnam notamque muneri obeundo imparibus, prout res postularet, victus suppeditaretur [3] ». Libe-

1. *Arch. Dép.* Registres des comptes du Collège. D. 13, 14, 15. — 1762 : Physique, 1,500 l., logique, 1,500, rhetorique, 1,500, seconde, troisième, quatrième, 1,200, 5e et 6e (réunies), 1,400. — 1764 : Philosophie, 1,400, rhetorique, 1,400, seconde, troisième, 1,200, quatrième, 1,000, cinquième, sixième, 800. — 1768 : Théologie, philosophie, rhétorique, 1,400, seconde, troisième, 1,200, quatrième, 1,100, cinquième, sixième, 1,000.

2. *Ibid.* D. 3, f. 189, 13 février 1789.

3. *Ibid.* f. 2, 22 mars 1763 : « Il sera pourvu, suivant l'exigence des cas, à la subsistance des professeurs qui par une longue et notable infirmité deviendraient hors d'état de remplir leurs fonctions, et ce autant et si longtemps que l'infirmité durerait. »

ralius etiam quam ex fide data se gerebant Curatores, nam professori cuidam ad docendum invalido, præter quingentas libras, trecentas non debitas donaverunt, postquam ROLLAND iis interrogantibus responderat « humanitatem, omnium virtutum primam, pro illo magistro agere [1] ».

Paucis autem post annis, ad exemplum Collegii Aurelianensis, a Curatoribus, « quum emeritis cibaria olim attributa non jam necessitatibus amplificatis sufficiant, ut professores inducantur ad munia post viginti annos persequenda », decernitur « pretium operæ post illud tempus ab iis impensæ gradatim augendum esse », ita ut, viginti annis exactis, cibaria dimidio salarii, post autem quadraginta annos summæ æquiparentur [2]. Quod præmium non semel [3] magistris contigit, quibus insuper licebat dimissis, « nisi locus deesset [4] », in Collegio manere.

Magistris enim jus erat in eo gratis habitandi [5], sed ea condicione ut, quadam morum ecclesiasticorum reverentia, si forte uxorem duxissent, neque hæc nec filiæ hospitio eodem excipi possent [6]. Ita fiebat ut a Collegio illi reipsa excluderentur. Cælibes vero, presbyteri laicive, vetabantur ne « in Collegium vel nocte vel die ullas mulieres, præter medicas aut genere proximas, si quo morbo afficerentur ipsi, admitterent, quod quidem iis munere dejectis a Colle-

1. *Arch. Dép.* D. 3. f. 140, 3 août 1781. Cf. *Append.* V.
2. *Ibid.* f. 153, 155, 4 juillet 1783, 16 janvier 1784.
3. *Ibid.* f. 159, 182, 21 mai 1784, 3 août 1787.
4. *Ibid.* f. 186, 23 septembre 1788.
5. *Ibid.* f. 4, 2 avril 1763.
6. Règlement pour les Collèges qui ne dépendent pas des Universités, art. XXXIII, 29 janvier 1765.

gioque abactis haud impune foret[1] ». Severitate autem illa Principalis professoresque non perculsi mulieres domi quæ jam aderant, consensu Curatorum, retinuerunt, « dummodo in posterum nullæ aliqua causa, specie ministrandi, iterum advocarentur[2] ». Mores igitur regulæ arctiori præstabant, presbyterisque in Collegio manentibus ancillas servare fas erat, dum mariti conjuges amovere, si hospitio gratuito frui cuperent, jubebantur.

Litteris patentibus anni MDCCLXIII scriptum erat in Collegio instaurato « Principalem, regentes professoresque sæculares instituendos esse », ita ut liceret eos aut ex clericis aut ex laicis eligi. Sed reipsa presbyterorum longe major pars semper Ambiani exstitit. Præter enim Principalem duoque theologiæ professores, inter ceteros, numero octo, anno MDCCLXXXIII, duo soli laici apparent, quorum unus paterfamilias uxore orbus, alter, orbus liberis, non viduus erat[3]. Hic autem, olim ludimagister in Urbe, nuper in Collegium ægre ingressus erat, his verbis præsidis ROLLAND Curatoribus diligentissime commendatus : « Nihil aliud ei

1. *Arch. Dép.* D. 3. f. 6 et sq. Règlement pour la discipline du Collège, art. IV.

2. *Ibid.* f. 88, 6 mars 1774 : « Le Bureau délibère que tous ceux qui habiteront le collège ne pourront y introduire aucunes femmes sous prétexte de besoins de la vie, mais qu'elles se contenteront de les débiter dans la loge du portier. » — f. 90, 7 octobre 1774 : « Le Bureau a délibéré qu'il voulait bien tolérer que le principal et les professeurs qui avaient des personnes du sexe pour les servir continuent à s'en faire servir, mais il est expressément défendu à Mrs le principal et professeurs de prendre à l'avenir aucune femme pour les servir sous quelques prétextes que ce soit. »

3. *Ibid*, D. 8. 5e Mémoire.

objici potest nisi quod laicus est ; non enim ignoro multos, præsertim inter vos, cupere ut clerici soli pueros instituant : hoc autem non minus vitiosum sit quam si iidem excludantur[1]. »

Nos juvat Parlamenti Parisiensis præsidem, virtute ornatissimum, in primis magistrorum laicorum causam sustinuisse. Cujus alioquin in *Operibus* nunquam mens elata liberalisque non eminet. Non enim solum magistros regulares pueris recte docendis informandisque non aptos profitetur, « quod monachus, regulæ peculiari necessario observiens ordinique, ut solet, magis quam patriæ obstrictus, non eligendus est ut cives publice instituat », sed etiam non probat « magistros laicos a clericis excludi », quod « nulli persuaderi potest patresfamilias, amoris liberorum non expertes, quo nunquam clericus afficiendus sit, minus quam istum idoneos esse qui, pueros informando docendoque, caritate, ut patres, constantiaque, ut pædagogi, conjunctim utantur[2] ».

Non autem uno die mores mutari possunt. Certamen inter laicos clericosque de pueris instituendis, nunc etiam acerrimum, duodevicesimo sæculo nihil aliud quam oriebatur. Itaque ROLLAND, quum nulli fere fidem fecisset, fateri coactus est, anno MDCCLXXXIII, « ex omnibus magistris qui Jesuitarum in locum successissent ne unum quidem inter decem laicum fuisse[3] ». Gratiæ tamen illi habendæ sunt quod, ut supra demonstravimus, verbis res addere tentaverit.

1. *Arch. Dép.* D. 11. Lettre du 29 juillet 1781. — *Append.* V.
2. *Recueil des Œuvres* du président Rolland, p. 34 et 55.
3. *Ibid.* p. 37.

Verum enimvero, quum plerique professores in collegiis constanter manerent, nulla illo tempore causa erat cur penitus perspiceretur magistrine laici, extra collegium cum suis habitantes, clericis præstarent, intra ejus muros inclusis, an impares essent. Quod quidem, a præside ROLLAND nec in *Operibus* nec in epistulis citatis disputatum, ab aliis nihilominus summa cura pensitatum est. Quidam Universitatis Parisiensis emeritus professor irridet istos magistros qui tantummodo collegia intrant, « tanquam artis saltatoriæ magistri[1] », ut cito domum revertantur, neque docendorum neque præsertim educandorum discipulorum ultra studiosi. Res enim erat, sicut hodie, maximi momenti.

Nemo enim infitiari potest magistris Universitatis nostræ, de quibus nunc solum agitur, quum laicorum magistrorum, duodevicesimo sæculo plurimorum, qui privatim docebant, genus fere omne exoleverit, non licere, velut clericis discipulos frequenter assidentibus, eorum animos, quasi e cera molli imagines, fingere. Nec ab illis puto hoc exigendum[2].

1. *Lettre d'un professeur émérite de l'Université de Paris,* en réponse au R. P. D. V.,... Religieux Bénédictin de St-Maur : *sur l'éducation publique,* au sujet des Exercices de l'Abbaye royale de Sorèze (Bruxelles-Paris. 1777. in-8), p. 28-29 : « Un principal et des professeurs réunis dans une même maison travaillent de concert à l'avancement des jeunes gens... Qui doutera qu'un collège animé de cet esprit ne réussisse à tous égards bien autrement que celui où le principal restera isolé avec ses pensionnaires, tandis que les professeurs ne paraîtront qu'à l'heure de la classe, comme des maîtres de danse qui viennent donner une leçon ? »

2. *Pièces* (imprimées) *pour l'histoire d'Amiens,* t. I, p. 46. — Requête des officiers du Bailliage à Nosseigneurs du Parlement. Quum illos accusarent Major scabinique et novi Collegii magistri quod iis ipsis

Decet enim ad libertatem, non ad servitutem animos institui. Nam morum doctrina quadam tacita, sine intermissione sparsa, mentes puerorum adolescentiumque melius corriges quam prædicatione sollemni qua sæpius aures frustra obtunduntur. Non igitur existimandum est nostros discipulos doctrina, qua bene morati fiant, carere. Contra illa, bonarum artium parens, nec in argutiis occupata, nec ostentandæ virtutis pietatisve nimis curiosa, nullam autem religionem philosophiamve respuens, uno verbo, ad viros formandos civesque patriæ amantes aptissima, plus etiam quam optabat Rolland nunc tandem efficit.

Tunc enim necesse fuit ut extemplo magistri reperirentur e clericis præsertim selecti. « Inter quos nonnulli, ut ipse fatetur Rolland, mediocres in docendo fuerunt; sed in pluribus collegiis professores ingenio egregio designati sunt [1]. » Ceterum, postquam confestim magistri primum collecti fuere, ne deinde ceteri Jesuitis expulsis inferiores essent maxima diligentia provisum est. Ambiani igitur certarunt inter se multi competitores ad cathedram secundæ usurpandam [2]. Magistri ad gradus Universitatis Parisiensis

hospitium in Collegio negavissent (20 avril 1763), hoc crimine defenso, addiderunt : « Des logements sont-ils nécessaires pour la tenue d'un Collège ? Qu'importe pour les études que les Régens soient logés dans le Collège ou hors d'icelui : n'a-t-on pas l'exemple qu'à Paris il y a nombre de Collèges de plein exercice où tous les Régens ne demeurent pas ? Cela n'empêche pas que les classes ne soient exactement tenues ; les logements dans le Collège ne sont donc pas nécessaires pour la tenue d'icelui. »

1. *Recueil des Œuvres,* p. 37.

2. *Arch. Dép.* D. 3. f. 58, 60, 22 décembre 1769, 6 avril 1770 : « Lorsque les compositions seront faites... en chaque faculté, de prose

promoti potissimum arcessiti sunt. Exempli gratia, anno MDCCLXXVII, a Curatoribus postulat ROUSSEL DE LA TOUR « ut dehinc in locum Principalis, professorum regentiumque, si forte quis vacet, soli eligantur qui in Facultatem Artium aggregati sint,... ita ut haud ægre consuetudini Universitatis jam assueti obsequantur [1] ». Itaque, paulo post, philosophiæ uno ex magistris deficiente, doctorum in Facultatem Artium aggregatorum indicem ad Curatores mittit, ut « facilius unum inter omnes eligant, certiores facti illos eximios esse, quorum ingenium severe probatum inspectumque fuerit [2] ».

Legati igitur Parlamenti Collegio Ambianensi peritos magistros præbere nitebantur. Quanti autem unusquisque fuerit non facile æstimaveris : unus saltem, nomine REYNARD, partes suas summo studio egit nec a novis rebus in docenda physica abhorruit.

Sed ab initio contigisse Collegio ut excellentibus magistris uterentur discipuli testatur ROLLAND [3]. Attamen in epistula ad Curatores scripta queritur quod illud nec celebritate famæ nec commodis justis fruatur : « Magistri delecti, inquit, anno MDCCLXII ad vos missi, parum abfuit quin omnes proficisci coacti sint, quorum nonnulli abhinc

et de vers,... elles seront mises sous enveloppe cachetée pour être examinées après les questions faites aux concurrents tant sur le grec que sur les différents auteurs, pour que les examinateurs ne puissent pas se prévenir en faveur de qui que ce soit. »

1. *Arch. Dép.* D. 8. Lettre de Roussel de la Tour, 1er octobre 1777. *Append.* III.

2. *Ibid.* D. 10. Lettre du 15 juin 1778.

3. *Recueil des Œuvres,* p. 37.

Lutetiæ inter cunctos professores eminuerunt et Academiæ alii alius, vel Gallicæ, inserti sunt [1]. »

Certe DELILLE, SÉLIS, CABOCHE, de quibus hic agitur, ii erant qui optime, si vellent, discipulos erudirent. Quare igitur Collegium vel inviti reliquerunt? Hoc nobis plane exponunt Curatores : « Illis, inquiunt [2], benigne acceptis dignisque habitis qui Lutetiæ, in capite regni, conspicerentur, nihil aliud unquam exprobrandum fuit nisi quod, litterarum colendarum nimio studio, scholas deserebant [3], sibi quosdam discipulos vicarios supponendo. De quo cum iis quam honestissime urbanissimeque, si quando fuerit occasio, locuti sumus. Ab urbe igitur nostra nullam ob aliam causam discesserunt quam quod in collegio provinciali iis in animo erat tantummodo manere, donec per amicos in collegium Parisiense advocarentur. »

Non immerito DELILLE, SÉLIS, ceterique Lutetia arcessiti, ut eodem reverterentur vehementer optabant. Si tamen, ut facilius litteris se traderent, discipulos leviter curaverunt, officium suum deseruere. Quod nonnunquam accidit magistris nihil antiquius habentibus quam ut, fama propriorum scriptorum insignes, honoribus procedant. Ita

1. *Arch. Dép.* D. 12. Lettre de Rolland, 4 mars 1783. — *Append.* VI.

2. *Ibid.* D. 12. Projet de réponse du Bureau (vers le 22 mars 1783). — *Append.* VII.

3. Cf. *Exposition raisonnée des principes de l'Université relativement à l'éducation,* par M. l'abbé Gosse, Professeur de Belles-Lettres (Paris, 1788), p. 104 : « On rencontre trop rarement parmi les professeurs, dit-on, des auteurs célèbres et de grands écrivains... La société doit s'en applaudir ; les classes en sont faites plus soigneusement ; c'est la preuve que les professeurs sacrifient leur gloire particulière à l'intérêt des jeunes gens. »

quidem fit ut prohibiti quin inertia torpescant tritamque viam indesinenter sequantur, omni genere doctrinarum ornentur et inde discipuli ipsi maximum fructum capiant. Sed cavendum ne illos intemperanter studiis peculiaribus deditos muneris quotidiani vulgarisque tædeat. Quomodo autem DELILLE ac SÉLIS discipulis suis consulerent non satis compertum est. Priorem vero scimus sex annos in Collegio permansisse et orationem quamdam [1] in sollemni præmiorum distributione de instituendis pueris habuisse, ad exemplar amplificationis elegantissimæ expolitam, in qua, ut ait Cicero, « totum Isocratis myrothecium atque omnes ejus discipulorum arculas consumpsit [2] ». Ceterum huic neque cum Curatoribus neque cum Principali aliquid unquam controversiæ videtur fuisse.

SÉLIS vero, qui Ambiani undecim annos docuit, cum iisdem haud semel conflixit. Anno enim MDCCLXXII curatores duo, ex quibus erat quidam HOUZÉ, Principali adjunctus « ad disciplinam interiorem Collegii regendam [3] », ut exercitatio rhetoricæ, antequam fiat, sibi exhibeatur rogant, quod vulgo dicatur « exercitationis totius argumentum nonnullosque præsertim locos de cupiditatibus describendis hujusmodi esse ut discentium magis etiam quam audientium mentem animumque non sine periculo movere possint [4] ». Statim igitur decretum est ut hæc exercitatio non conficeretur. Sed postea, quum SÉLIS rem explanavisset, in codice ipso delibcratio ista deleta fuit [5]. Nihilominus ille, ne de

1. V. *Œuvres* de Delille, gr. in-8, Paris, 1834, p. 890.
2. Epistulæ ad Atticum, II, 1.
3. *Arch. Dép.* D. 3. f. 2, 22 mars 1763.
4. *Ibid.* D. 3. f. 76, 8 août 1772.
5. *Ibid.* f. 77, 20 novembre 1772.

consuetudine in ceteris morosa cum Curatoribus dicam, non iram posuerat. Itaque vix Lutetiam redierat quum in eclogario, cui titulus erat « *Almanach des Muses* », anno MDCCLXXV epigramma quoddam in Houzé contorsit. Postquam autem de hoc carmine apud publici signi custodem questi sunt magistratus municipales, falso ignaveque negavit se curatorem illum designavisse[1]; quin immo, multis post annis, eidem satisfecit pro suis injuriis, in Academiæ Ambianensis cœtu, in quo fabellam fictam recitavit, se ipsum specie « Hominis quadragenarii emendati » pingendo[2].

Scilicet, ætate maturior, se velut plures collegas olim aliquid ex regula necessaria immerito derogavisse sentiebat. Quivis enim magister se legibus moribusque aut corporis aut collegii, in quo partes suas subiit, obstringi pacto quodam tacito profitetur. Si levi peccato iterum iterumque hoc fœdus concusserit, forte deinceps, officio omni prætermisso, funditus evertet. Ambiani res isto modo se habuit. Professores enim togam academicam in schola sibi induere, « hoc etiam proposito ut ex mercede annua quinquaginta libræ detraherentur », si negarent, sæpius jussi sunt. Ii quoque, quum præmiorum distributioni non assidue adessent[3], discipulos parentesque despicere videbantur. Adde quod conventum menstruum, ut omnis ratio inquireretur « quæ ad

1. *Arch. Dép.* f. 92, 13 janvier 1775. Cf. *Mémoires* de l'Académie d'Amiens, 1897, p. 283-297.

2. V. *Lettres* de Madame Rolland, publiées par Perroud (Paris, 1900), t. I, p. 271, 26 août 1783. — Cf. J. Delfour, *De Nicolai Josephi Selisii vita et scriptis,* Ambiani, 1901.

3. *Arch. Dép.* D. 3. f. 63, 72, 20 juillet 1770, 20 mars 1772.

adolescentes melius erudiendos prodesset » institutum, non frequentabant [1].

Quamvis ita munere toto non fungerentur adstricte, delictis eorum ignoscendum erat, si necessarium officium scholasticos accurate docendo exsecuti essent. Contra vero multi, nulla causa allata, ne Principali quidem Curatoribusve monitis, crebro aberant. Hic, quum Lutetiam profectus esset, ab iis invitatus ut non jam cessaret, indecenter respondet atque a loco movetur. Ille, postquam totum mensem ante ferias abfuit et posthac a primo mensis Octobris die ad tertium decimum Novembris non rursus comparuit, « jussus ante primum diem Decembris redire, nisi forte velit munia sua vacua duci », ea abdicat. SÉLIS ipse Lutetiæ moratus, quum in Artium Facultatem nuper aggregatus esset, revocaretur necesse fuit [2].

Cui igitur non patet quo vitio laboraverint illa collegia fere nemini emancipata vitamque segregem agentia, ita ut magistri, a Curatoribus designati, quasi in transitu circum ea concursarent? Nulla igitur utrisque fides, nulla magistris securitas, nulla dignitas. Morbo tandem in pejus declinante, decretum est « ut nunquam professores quamcumque ob causam schola abirent ita ut discipuli — plerique externi — in commeatu essent, et nullus in eorum vicem succederet, nisi res necessario postulaverit assenseritque Principalis,

1. *Arch. Dép.* f. 6, 19 juillet 1763 (Règlement pour la discipline du Collège), f. 88, 6 mars 1774.

2. *Ibid.* D. 3. f. 26-27, 13 et 20 décembre 1765 ; f. 34, 13 novembre 1767 ; f. 54, 22 juin 1769. Cf. f. 70, 7 février 1772 : « Délibéré que M. Bellegueule, professeur de philosophie, serait mandé au Bureau à l'effet de rendre compte sur ce qu'il a fait sonner la sortie des classes trois quarts d'heure avant l'heure ordinaire l'un des jours derniers. »

ea quidem condicione ut vicarius magistri, vel ægrotantis, ejus impendio conduceretur,... postremo iterum delinquens magister, si forte necesse esset, pecunia graviori mulctaretur aut etiam de possessione muneris dejiceretur[1] ».

Moleste ferendum est eo rem venisse ut viros ætate maturos, instar puerorum adolescentiumque, metu pœnarum coercere oportuerit. Si enim Principali nulla auctoritas inerat Curatoresque interdum imperite minuteque egerunt, plerique professores arti suæ nec studuisse nec satisfecisse videntur. Itaque, Principalis Curatorumque ac disciplinæ contemptum præ se ferendo, pessimum scholasticis exemplum vel inscii vel conscii præbebant. Haud semel igitur illi rebellarunt, quibusdam, ut significabat Principalis, fortasse magistris auctoribus et auspicibus. Quodam die, quum philosophiæ studentes hanc ipsam feriatam esse proscripsissent festamque revera egissent, a Curatoribus sancitum est ut logici physicique schola excluderentur donec deprehenderentur noxii, « mercesque unicuique philosophiæ magistro addicta interea non solveretur[2] ». Unde concludi potest rebellionis culpam in eos translatam esse. Ceterum quis non miretur Curatores prohibuisse ne « discipulis unquam, quamlibet ob causam, a Collegio abesse liceret, vel annuente Principali aut professoribus », sibique solis jus arrogavisse « causas extraordinarias cur absentia legitima esset perpendendi[3] ». Scilicet professores Principalisque ipse hanc licentiam plus æquo dare solebant.

1. *Arch. Dép*. D. 3, f. 163, 7 août 1784. Cf. f. 80, 22 janvier 1773.

2. *Ibid*. f. 50, 24 février 1769. Cf. Douarche, *l'Université de Paris et les Jésuites*, p. 28.

3. *Ibid*. D. 3. f. 118, 5 juin 1778.

Num vero Curatores, qui ultro disciplinæ interioris arbitros agebant, a quibus ad alios non appellaretur, ii erant qui a nimia indulgentia severitateve præcavere possent? Num illi, majore parte municipes vel municipio adstricti, integro animo liberoque semper discipulis beneficia conferebant aut pœnas injungebant? Si quando errarent aut decepti aut iniqui illi judices, nonne timendum erat ne cum Principali professoribusque haud injuria sæpius conflictaretur?

Quod ab orto Collegio accidit. Nam ad Curatores Sélis arcessitus de quodam scholastico dimisso, quem absentem sine causa fuisse existimaverat, eorum potestati invitum se permisit[1]. Cui quidem velitationi certamen longum acerrimumque successit inter Principalem Curatoresque initum. Quum enim aliquot scholastici urbani, postquam a Collegio aliquandiu anno superiore abfuerant, « in perpetuum ejecti exclusique fuissent, nonnulli Curatores id injuste actum esse putantes, quoniam nullus non a parentibus missus in scholam excipi debeat, nisi forte obstet causa sontica, de qua Curatores admonendi sint », a Principali petiverunt ut duo ex illis in Collegium redire possent[2]. Quare autem de iis solis ageretur in tabulis nihil relatum est. Quanquam hoc nos non fallit. Quum vero Principalis a Curatoribus ad Parlamenti legatum appellavisset, quæ ii censuerant Rolland haud immerito abrogavit :

« Mihi confirmatum est, inquit, Curatores ut de scholasticis, vel convictoribus vel externis, dimittendis judicent contendere. Sed hanc rem peculiarem, quæ ad disciplinam pertinet, Principalis professoresque totam sui juris habent...

1. *Arch. Dép.* D. 3. f. 4-5, 3, 7 mai, 21 juin 1763.
2. *Ibid.* f. 147, 4 octobre 1782.

Fateor tamen fieri posse ut errore ducantur. Quis autem Curatores errore vacuos fore affirmare audeat ? Ceteroquin non oportet in Collegio unusquisque imperet, necesse est ut omnes discipuli magistros in honore habeant... Ergo, ne Principalis professoresque in contemptionem veniant, non illis licebit eorum potestatem parvi æstimare. Curatores vero cognatione, affinitate, necessitudine forsitan propensi potius erunt ad indulgentiam quam ad severitatem : ut altera tamen subinde utilis est, ita altera plerumque necessaria [1]. »

Quis planius ac melius patrocinium nunc arriperet magistrorum libertatis ac dignitatis, quantum ad officia explenda attinet, diligenter servandæ? Disciplinam enim funditus evertes, si Curatoribus, inter quos aliquando consistunt quidam patresfamilias, suis commodis forte potius quam utilitati communi servientes, imperium, quod sibi contra jus duodevicesimo sæculo vindicabant [2], hodie condonaris.

Agnoscendum vero est illos, quum privatas res non respicerent, quæ habenda esset justa disciplina subtili animo comprehendisse. Nam bursas suscipiunt duobus scholasticis tribuendas « a proximo conditoris cognato designatis,... sed ita ut Curatores jus habeant bursarios e privilegio exturbandi, si male se gerant aut hebeti ingenio sint [3]». Quod prudenter cautum est, dummodo de re ipsa

1. *Arch. Dép.* D. 12. Lettre de Roland, 4 mars 1783. — *Append.* VI.

2. V. Arrêt du Parlement portant règlement pour les Collèges qui ne dépendent pas des Universités, art. 25, 46, 51.

3. *Arch. Dép.* D. 3. f. 66, 1er mars 1771. Cf. f. 110, 2 mai 1777 : « Il ne sera admis aux bourses de capette que les sujets qui auront des attestations de leurs professeurs telles qu'ils sont des premiers de

singillatim jure optimo consuleretur. Etenim si bursarii, hoc ipso quod arbitrio suo carent, liberaliter tractandi sunt, contra iidem beneficio collato dignos se præstent necesse est.

Sed ii tam pauci in Collegio Ambianensi convictoresque, si quando erant, tam rari manebant ut custodia externi intra extraque fere soli continerentur. Qui sæpius rebellantes absentesve quomodo castigati fuerint supra diximus. Magis autem difficile et arduum, nec minoris momenti est impedire quin discipuli, postquam schola egressi sunt, animum amplius æquo relaxent luxurioseque vivant.

« Quum igitur Principalis nuntiavisset a multis variaque ætate scholasticis spectacula ceteraque loca publica frequentari, in quibus nihil aliud quam artibus ab educatione christiana alienis instituerentur, Curatores, ne mores adolescentium ad mollitiem lapsi ipsis familiisque detrimento essent, censuerunt vetandum esse ne ullus scholasticus, quocumque comitante, in tabernis theatrisque Urbis adesset, nisi quod forte Collegio expelli vellet [1]. »

leurs classes ou qui annoncent des dispositions à devenir des premiers de leurs classes. »

1. *Arch. Dép.* D. 3. f. 116, 8 janvier 1778 : « Sur la représentation faite par M. le Principal que nombre d'écoliers du Collège, et de différentes classes, fréquentent les spectacles et autres lieux publics, où ils ne peuvent recevoir que des principes incompatibles avec l'éducation chrétienne, le Bureau, pour prévenir la corruption des mœurs dont les suites ne pourraient être que funestes aux jeunes gens et aux familles, a jugé nécessaire de défendre, sous peine d'expulsion du Collège, à tout écolier, de quelque classe qu'il puisse être, de se trouver, et en quelque compagnie que ce soit, dans les billards, cafés et salles de comédie de cette ville. » Cf. Carré, *l'Enseignement secondaire à Troyes*, p. 177 : « Il est défendu sous de griêves peines aux écoliers de fréquenter le billard, le cabaret... »

Sequebatur ut ipsis parentibus non liberos in spectacula ducere fas esset, quod quidem profecto non fieri solebat. Ego vero non ausim Curatores objurgare quod de morum integritate tuenda duritiam animi quamdam, nunc obsoletam, præstiterunt. Scholastici autem an extra Collegium acerrima custodia asservati sint dubium est.

Ceterum excepto eo quod moribus summa vigilantia intra Collegium consulebatur, vitam non injucunde egisse illi videntur, quippe qui frequenter laborem quiete recrearent. Theologiæ enim, philosophiæ rhetoricæque illi studentes magnas ferias per duos menses, ceterique per sex hebdomades agebant; Paschales insuper alii duodecim diebus, alii septem residebant, operaque assueta omnes ex anni quoque tempore et etiam ex quaque hebdomade inæqualiter vacabant[1], ita ut male studia ordinarentur. Attamen diligentissime cuncta ea quæ ad exercitationes præmiis donandas interrogationesque ut ad classem superiorem transiretur idoneas, atque ad libros scholares eligendos pertinent, secundum Universitatis Parisiensis morem provisa constitutaque erant.

1. *Arch. Dép.* D. 3. f. 2, 9, 24, 22 mars 1763, 7 février 1764, 21 juin 1765. — D. 11. Tableau pour les Congés de l'année 1782.:

Novembre. Congé le Samedi 2 plein. Première semaine ; Congés les Mercredi et Samedi après midi. Deuxième semaine ; Congé le Lundi 11 et Mardi 12 pleins, à cause de la Harangue, et le Samedi 16 après midi. Troisième semaine ; Congé les Mercredi et Samedi après midi. Quatrième semaine ; Congé le Lundi plein, et le Jeudi 28 après midi. — Décembre. Première semaine ; Congé le Mercredi après midi, et le Vendredi 6 plein. Deuxième semaine ; Congé le Jeudi 12 après midi. Troisième semaine ; Congé les Mercredi et Samedi après midi. Quatrième semaine ; Congé le Mardi 24 plein, à cause de l'Instruction le matin pour les Ecoliers, et le Samedi 28 aussi plein.

CAPUT IV.

QUOMODO MAGISTRI DISCIPULOS DOCUERINT.

Quamvis autem nihil vere novi aut incogniti de scholis administrandis in Collegio Ambianensi requirendum sit, singula quædam ab usu communi discrepavisse constanterque ut studia vigerent provisum esse notavimus, præsertim quum de antiqua logicam physicamque docendi ratione pro nova mutanda actum est.

Curatores enim, persuasum habentes æmulatione in primis ad discendum excitari pueros, præmia amplissima iis in medio posuerunt. Itaque non solum hæc, ut solet, extremo scholari anno, sed etiam post Nativitatem vel Pascham in Collegio coram Curatoribus cunctisque scholasticis distribuebantur [1]. Quæ quidem profecto vilia facta non videntur ad studia reficienda, jam ad inferius prolapsa, profuisse [2]. Nostræ ceterum civitatis proprium fuit discentes ad laborandum ita impellere, nam magistratus municipales jam tum ipsi eo adducti sunt ut præmiis parvas scholas donarent [3].

1. *Arch. Dép.* D. 8.
2. V. Rolland, *Recueil des Œuvres*, p. 126.
3. *Arch. Com.* BB. 98, f. 61, 4 août 1788 :

« MM. Saladin et Lefèvre, échevins, commissaires aux écoles de charité, ont dit que pour exciter l'émulation des écoliers qui fréquen-

Nihilominus Curatores caverant ne modum excederent licentiaque illa uterentur quam paulo post irrisit facete vetus quidam Universitatis Parisiensis magister [1]. Exercitationes enim ad præmia merenda scribebantur die dicto, in quavis classe, cuivis facultati numero pares, sicut æquum est [2], præmiaque, si exercitationes inferiores justo æstimatæ

tent le Collège il se faisait chaque année une distribution solennelle des prix, que MM..assistaient à cette distribution ; qu'il serait digne de la bienveillance paternelle des officiers municipaux de donner aussi aux enfants des pauvres citoyens, pour lesquels les écoles de charité ont été instituées, le même moyen d'exciter leur émulation en leur faisant distribuer différents prix de livres ;.. unanimement arrêté qu'il serait distribué cette année aux écoles de charité de cette ville différents prix aux écoliers qui auront fait le plus de progrès, lesquels prix seront réglés par mesdits sieurs les commissaires et n'excéderont pas la somme de..., que cette distribution n'aura lieu que par forme d'essai pour cette année seulement et sans tirer à conséquence pour l'année prochaine et encore moins pour les années suivantes. »

1. Geoffroy, *Cours de Littérature dramatique,* t. VI, p. 397, 411. Préjugés sur l'éducation, 17 fructidor an XII (14 septembre 1804). Exercices publics des maisons d'éducation, 30 fructidor an XIII (17 septembre 1805) :

« On aurait bien voulu, dans ces derniers temps, rejeter toute la peine sur les maîtres, et dispenser les enfants de tout effort : cela n'est pas possible, rien ne s'apprend sans beaucoup de peine. » « Le travail est fort diminué dans les écoles ; mais les récompenses du travail, les prix se sont multipliés ; il s'en distribue une quantité prodigieuse ; les écoliers en regorgent : prix d'encouragement, prix de sagesse, prix d'écriture, prix de dessin, prix de violon, prix de toutes les façons et qui ont cela de commode qu'on peut les remporter sans la moindre contention d'esprit. »

2. *Arch. Dép.* D. 3. f. 74, 17 juillet 1772 : « Les compositions faites à d'autres jours que ceux convenus entre le Principal et les professeurs

erant, abjudicabantur. Exempli gratia, nulli secundano præmium poeseos latinæ sermonisque latini in gallicum versi anno MDCCLXXII addictum est[1]. Longe aliam ob causam, non solum sua præmia discipulis invidebantur qui, nihil habentes quod jure excusarent, præmiorum distributione aberant, sed etiam proximis tradebantur[2]. Hæc autem pœna nec culpæ nec æquitati congruebat. Ut nunc fit adhuc in ecclesiasticis collegiis, præmium sapientiæ in omnibus classibus a scholasticis ipsis designabatur[3]. Quum vero Colgium prope abesset ab exitio, « præmium excellentiæ in quavis classe illi qui sæpissime primum et alterum locum in quaque facultate obtinuerat » institutum est[4]. Quod, tantummodo ad intellegentiam industriamque discipulorum respiciens, fere iisdem condicionibus adstrictum, in Universitate Gallica diutissime permansit. Forte autem molestum haberi potest quod hodie, prisco more derelicto, illud quasi sapientiæ simul ac ingenii facultatibus a magistris assignandum sit : inde enim fit ut nonnunquam ii quem eligant incerti sint et in suspicionem iniquitatis incidant.

Oportebat quoque Curatores libros præmiis addicendos disponerent. A principio igitur statuerunt « nullos scholasticis dari posse nisi, ut par est, permissi dignique forent qui mentem moresque informarent, religionisque principia

ne concourront pas pour les prix. Il ne sera plus donné à la fin de l'année de prix pour la faculté de grec, s'il n'y a pas eu autant de compositions dans cette faculté que dans les autres. »

1. *Arch. Dép.* f. 75, 7-8 août 1772.

2. *Ibid.* f. 118, 5 juin 1778.

3. *Ibid.* id.

4. *Ibid.* f. 188, 13 février 1789.

ac regni instituta eos docerent [1] ». Facile autem hæc verba res ipsa non secuta est, dissentientibus scilicet Principali professoribusque. Curatores enim deinde decreverunt ut « libri extremo anno scholari distribuendi a Principali cum Curatorum assensu eligerentur, ac cuivis classi, cuivis præmio assignarentur, nulla professoribus licentia data illos propriis discipulis eligendi [2] ». Ut vero commode provisum erat ne quid inter Principalem professoresque certamen oriretur, ita in magistros suspicio quædam contumeliosa commovebatur. Quod quidem diutissime in Universitate usurpatum est, non sine magno scholasticorum detrimento, qui libris nullius pretii aut ad ætatem ingeniumque non accommodatis sæpius donabantur. Itaque satius est, ut nunc solet, a professoribus intellegenter libros eligi, inspicientibus approbantibusque iis penes quos est potestas.

Illorum enim, qui in invidia essent propter inferiorum peccata, officium est ab eorum falsis opinionibus verbisque immodicis præcavere, ne qua labes in ipsos totumque corpus Universitatis redundet. Non igitur mirum est si judicio superiorum orationes in præmiorum distributione habendæ, antequam pronuntiantur, hodie obnoxiæ sunt. Octavo quoque decimo sæculo orationes, latine galliceve scriptæ, variis anni temporibus, in Collegio Ambianensi coram Episcopo capituloque, præfecto provinciæ vel Regis procuratore magistratibusque municipalibus haud semel

1. *Arch. Dép.* D. 3. f. 3, 22 mars 1763. Règlement pour la discipline du Collège, art. IV : « Il ne pourra être donné pour prix aux écoliers que des livres dûment autorisés, capables de leur former l'esprit et les mœurs, et de leur apprendre les principes de la religion et les maximes du royaume. »

2. *Ibid.* f. 53, 21 avril 1769.

habitæ sunt. Ex quibus nonnullas titulo saltem novimus : « *Combien le génie est nécessaire pour la Poésie et pour l'Eloquence; Le bon choix des amis; Le Rire* [1]. » Aliam vero ab abbate Delille « *Sur l'Education* » inscriptam jam supra memoravimus. Illæ autem, sive ad Principalem Curatoresque prius delatæ, sive, censuræ immunes, recitatæ sint, apud neminem offendisse videntur.

Quidquid id est, de thesibus exercitationibusque publicis ante præmiorum distributionem agendis statutum erat ut Principalis, professores regentesque providerent « ne quid in illis includeretur vel diceretur quo excitari lascivia, rixæ, tumultus possent, aut quodvis corpus cœtusve, uno verbo, quilibet læderetur [2] ». Suspicari licet exercitationem a Sélis paratam, quæ moribus noxia judicata est, quamdam fuisse orationem disputationemve potius quam scriptorum veterum aut recentiorum interpretationem, quæ suapte natura a periculo isto fere aliena fuisset [3]. Ignoramus enim an de

1. V. *Almanach de Picardie*, 1764, p. 269, *Affiches de Picardie*, 22 décembre 1781, 16 novembre 1782.

2. *Arch. Dép.* D. 3. f. 6, 19 juillet 1763. Règlement pour la discipline du Collège, art. VIII.

3. V. Geoffroy, *Cours de littérature dramatique*, t. VI, p. 387. — Exercices publics pour la distribution des Prix, 6 fructidor an XII (24 août 1804) :

« Les exercices qui précèdent la distribution des prix n'étaient dans le principe que des preuves du progrès des élèves dans le cours de l'année. Les jeunes gens expliquaient les auteurs grecs et latins, répondaient aux questions qu'on leur faisait sur les objets de leurs études, et se montraient dignes des prix qu'ils allaient recevoir : c'étaient de véritables exercices scolastiques. On les a dénaturés quand on a voulu en faire des spectacles et des fêtes capables d'amuser les femmes : alors on a fait jouer aux enfants des pièces de théâtre ; on

quæstionibus hujusmodi, ut apud Jesuitas, disceptatum sit : « Quantum scientiis religio, quantum religioni scientiæ debeant, ostendet orator collegii Ambianensis Societatis Jesu (1728)[1]. »

Veri similius est exercitationes ex prisco more Universitatis Parisiensis tractatas esse. « In hac exercitatione a duobus vel tribus scholasticis scriptores, vel oratores vel poetæ, per annum prælecti, explicabantur, ad interrogata respondebatur, et quædam, ut oratione, ita versibus condita, ex optimis auctoribus excerpta locisque vicina selectis ex oratoribus, poetis, historicisve ad exercitationem propositis, ex memoria exponebantur[2]. » Cujus rei exemplar unicum nobis traditum offeram :

« *Exercice au Collège sur la Rhétorique et la Poétique. Ode française sur l'Eloquence par les Rhétoriciens et analyse de la Péroraison du* PRO MILONE, *du Discours de l'Intimé dans les* PLAIDEURS, *du* CHARLATAN *de La Fontaine, de l'*ENÉIDE, III, *entrevue d'Andromaque et d'Enée, de quelques morceaux de l'*ELECTRE *d'un auteur célèbre*[3]. »

leur a fait réciter des pièces de vers, des morceaux d'éloquence, des dissertations littéraires composées par les professeurs, et qui ne prouvaient que la mémoire de l'écolier... Ces exercices ne peuvent offrir un véritable intérêt qu'autant qu'on les rappellera à leur principe en bannissant tout charlatanisme, tout prestige théâtral. »

1. V. *Catalogue des manuscrits de la Bibliothèque d'Amiens,* 532.

2. *Arch. Dép.* D. 8. 7e Mémoire : « A cet exercice deux ou trois écoliers expliquent les auteurs, soit orateurs, soit poëtes, qui ont été vus pendant l'année. Ils répondent aux questions qui leur sont faites, et récitent des morceaux de prose ou de poésie, extraits des meilleurs écrivains, et analogues aux endroits choisis des orateurs, des poëtes ou des historiens qui sont l'objet de l'exercice. »

3. V. *Affiches de Picardie,* 12 août 1775.

Ex indice illo concludi posset linguam gallicam magno studio in Collegio cultam fuisse, nisi forte magis ad auditores præstringendos quam ad usum quotidianum discipuli eam meditati sint. Vix enim credendum est in scholis latinam linguam loco assueto tam comiter cessisse ut gallica partes primas, velut in hac exercitatione, ageret. Nihilominus notandum est carmen nostro sermone exaratum esse a scholasticis, nostrosque scriptores e maximis selectos, RACINE, LA FONTAINE, VOLTAIRE ipsum adhuc vivum publice in honore fuisse : putamus enim hac appellatione « *Electræ* auctoris præclari » non designari CRÉBILLON jampridem mortuum fereque exoletum.

Sed in plurimis collegiis, Jesuitarum instar, exercitatio publica, primum severa utilisque, in meram venditationem, ne dicam scurrilitatem, paulatim desierat. Ambianense Collegium quum Jesuitæ regerent, non solum « In publicis affixorum disputationibus authores græcos et latinos explicabant selecti humanistæ », aut « Uter videndi an audiendi sensus ad eloquentiam magis conferat » disserebant, aut etiam causas umbraticas gallice [1] agebant rhetores, sed etiam ænigmata interpretabantur, et uno die plures fabulas, id est, canticum saltatorium, cui inserebantur embolia, drama heroicum, drama comicum, comœdia, atque tragœ-

1. « Cause qui sera plaidée par les rhétoriciens du Collège d'Amiens, 1er septembre 1728. Sujet : Ctésiphon, citoyen de Paris, mit, il y a quinze ans, la somme de cent mille écus entre les mains de Dorophilax, son ami, pour être un jour partagée entre ses quatre petits-fils, à raison de l'éducation plus ou moins avantageuse qu'ils auraient reçue de leurs pères ou de leurs mères. Plaideront pour l'éducation particulière,... pour l'éducation publique,... pour l'éducation de la Cour,... pour l'éducation des voyages... »

diam latine scriptam, in scenam deducebant (1733)[1]. Contra autem, ad exemplum Universitatis Parisiensis, a Curatoribus Collegio ludi scenici sapienter amoti sunt[2].

Ergo quidquid ad exercitationes publicas aut privatas præmiis donandas attinet summa diligentia constitutum erat ut studia quam maxime florerent. Adde quod scholastici per ferias pensa quædam conficere et auctorum quosdam locos ad verbum memoriæ mandare cogebantur, ut ad classem superiorem transire possent[3]. Ad hoc etiam veteres, tempore feriarum imminente, novos autem, quum Collegium primo adirent, circumspicere mos erat. Illi vero qui ante ferias abierant, regressi non ex isto judicio evolabant. Principio, quum nonnulli discipuli extremo anno indigni habiti erant qui transirent, statim iis indicebatur ut *manerent*. Deinde autem, hac severitate remissa, « cuique priore anno *manere* jusso concessum est primam in classe superiore exercitationem agere ut in utram intraret dijudicaretur[4] ». Minutiores quamvis illæ regulæ fuerint, nescimus an in discipulos oneri impares vel pigros sævitum sit. Scilicet indulgentia duritiæ ita præstitit ut studia magis et magis in pejus declinaverint.

Quomodo vero linguam græcam, latinam, gallicam magistri docuerint, quosve scriptores explicaverint, nihil pro certo habemus. Librorum enim scholarium indicis in tabulis

1. *Catalogue des manuscrits de la Bibliothèque d'Amiens,* 442, 532.
2. *Arch. Dép.* D. 3. f. 6. Règlement pour la discipline du Collège, art. XIV.
3. *Ibid.* f. 90, 15 juillet 1774.
4. *Ibid.* D. 3. f. 3. Règlement pour la discipline du Collège, art. XII. f. 47, 74, 119, 2 décembre 1768, 17 juillet 1772, 16 octobre 1778.

publicis tantummodo titulus adest [1]. Nonnulla tamen scripta notavimus quæ, Ambiani duodevicesimo sæculo typis mandata, forte pueris instituendis adhibita sunt [2]. Scimus etiam ex Bibliothecæ Collegii catalogo quot et qui in manibus magistrorum libri versarentur, quorum plerique ante Jesuitas expulsos empti erant.

Inter hæc omnis generis opera numerantur aliquot ad usum professorum discipulorumque pariter accommodata : *Clenardus, Despauterius, Aphtonius, Candidatus rhetoricæ auctus a Jouvency, Schrevellius, Tursellinus*. Quod autem potius ad magistros attinet, scriptores græci, latini gallicique clarissimi non desunt, præter unum PASCAL, cujus nomen ipsum frustra requires [3]. At vero FRÉRON [4] amplissimum locum obtinet. Unde facile æstimaveris sæculares magistros, plerosque clericos, qui in vicem Jesuitarum successerant, nihil profecto de litteris docendis mutavisse.

Quid multa ? Ut in dubio est qui scriptores vel toti vel aliqua parte, ut tunc solebat, explicarentur, sic maxima cura libros designatos esse compertum habemus. Ante ferias

1. *Arch. Dép.* D. 8. 6° Mémoire sur les livres de classe.

2. *Ovidius :* Sententiæ ex illo decerptæ ad mores informandos. Ambiani, 1754, Ve Godart. — *Prosodia latina ad usum Collegii Ambianensis Societatis Jesu.* Ambiani, 1750, Ve Godart. — *Rudiments nouveaux de la langue latine, 1re et 2e partie.* A l'usage des écoles d'Amiens. (Par l'abbé Vallart.) Nouvelle édition. Amiens, 1760. Ve Godart.

3. *Catalogue de la Bibliothèque du cidevant Collège d'Amiens.* A Amiens, l'an 4e de la République Française. (*Bibliothèque communale d'Amiens, Manuscrits,* 552.)

4. *Lettres sur quelques écrits de ce temps, Année littéraire.* (1754-1771).

enim Principalis ac nemo non professor de auctoribus anno proximo legendis explanandisque consentiebant ut, ex tabula typis mandata, « scholastici illos sibi, ut placeret, undecunque pararent [1] ». Principalis igitur non ex libris venditis lucrum faciebat. Quum autem, credo, parentes, sicut nunc [2], « de nimia impensa librorum emendorum » quererentur, insuper edictum est ut horum index immutabilis in quavis classe proscriberetur [3].

Quamvis potissimum scriptores latinos, ex more, in Collegio Ambianensi a discipulis excussos esse manifestum sit, studio linguæ græcæ gallicæque aliquid temporis datum esse apparet. Ne exercitationem publicam supra dictam memorem, in qua noster sermo tanto honore habitus est, græcus autem omnino siluit, ex præmiis extremo anno distributis quæ fuerint exercitationes usitatæ noscitur. Præterquam enim quod in latinum vertebatur gallica lingua, latina in gallicum, versus amplificatioque latine scribebantur, græca lingua etiam in gallicum transferri et amplificatio sermone nostro confici solebat [4].

Quis autem non hodie miretur ex hac longa præmiorum

1. *Arch. Dép.* D. 3. f. 10, 7 février 1764.

2. Cf. la circulaire du Ministre de l'Instruction publique, du 23 juin 1897.

3. *Arch. Dép.* D. 3. f. 51, 7 avril 1669.

4. *Affiches de Picardie,* 4 septembre 1784. Distribution des Prix, 3 août :

Rhétorique. — Sagesse, Amplification latine, Amplification française, Version, Vers, Version grecque, Mémoire.

Seconde et Troisième. — Sagesse, Thème, Version, Vers, Version grecque, Mémoire.

Quatrième. — Sagesse, Thème, Version, Vers, Mémoire.

Cinquième et Sixième. — Sagesse, Thème, Version, Mémoire.

serie nullum philosophiæ, physicæ, mathematicæ addictum esse? Quæ quidem jamdudum, si logicam paululum excipias, in contemptu jacebant. Libros vero in quibus de scientiis iis tractabatur ad usum discipulorum idoneos perpaucos fuisse vel fere nullos constat [1]. Cæterum magistri commentarios suos discipulis aut dictabant aut etiam typis mandatos committebant.

Scripta autem ejusdem generis ex quibus doctrinam haurirent professores non medio duodevicesimo sæculo deficiebant. Jesuitæ ipsi, si Bibliothecæ Collegii catalogo credas, in quo inscribuntur multa opera ante annum MDCCLXII pleraque edita atque, ut opinor, acquisita [2], physicam in primis colebant, nedum scientias prorsus despicerent. Sed Cartesium Newtonio mordicus anteponebant physicæque principia generaliter, experimentis fere omissis, docebant. Quid quod his instrumentis solummodo utebantur?

1. V. *Catalogue de la Bibliothèque du Collège.* — Duhan, ph. pr. : *Philosophus in utramque partem ad usum scholæ de rebus logicis et physicis cum disputationibus,* 1694 ; *id.* 1730.

2. V. *Catalogue de la Bibliothèque du Collège.* — Keill, *Introductiones ad veram physicam veramque astronomiam,* quibus accedunt trigonometria de viribus centralibus, de legibus attractionis, 1739. — Trabaud, *Principes sur le mouvement et sur l'équilibre,* pour servir d'introduction aux mécaniques et à la physique, 1741. *Le mouvement de la lumière* ou premiers principes d'optique, 1753. *Le mouvement des corps terrestres* considéré dans les machines et les corps naturels, 1753. — Newtonius, *Philosophiæ naturalis principia mathematica,* 1743. — Courtevron, *Traité d'optique* où l'on donne la théorie de la lumière dans le système Newtonien, 1752. — Nollet (l'abbé), *Leçons de physique expérimentale,* 1759. — Paulian, jésuite, *Dictionnaire de physique,* 1761. — Mussenbrock, *Cours de physique expérimentale et mathématiques,* traduit du latin par Sigaud de la Tour, 1769.

« *Quatre sphères, une machine pneumatique, sept récipients, un autre récipient pour l'expérience du son dans le vide, une machine électrique, sept cartes anatomiques, trois fontaines mauvaises, des marbres de Magdebourg, une pompe, la vis d'Archimède, un optique, un aimant naturel et un artificiel, et plusieurs fioles pour les expériences des fermentations, plusieurs éolipyles, plusieurs prismes, plusieurs tubes et siphons*[1]. »

Fatendum est prope eodem tempore in omnibus collegiis physicam ista ratione memoriæ adolescentium traditam esse[2]. Attamen paulo post, auctore et auspice quodam magistro, cui mens libera curiosaque erat, doctrina illa crevit et magis magisque processisset, nisi multa sæpius impedivissent. Abbas enim REYNARD, quum, anno MDCCLXVI professor designatus, diutissime alternis vicibus, ut mos erat, logicam physicamque præcepisset, physicæ demum solus præpositus omni opera intendit ut studium illud prospere succederet. Itaque identidem aliquam pecuniam a Curatoribus ad instrumenta augenda impetravit. Denique duo armaria emere ei jus fuit, quibus contineretur id modicum suppellectile[3]. Sed REYNARD opes exiguas sedulitate proficiendique amore, temporibus illis insigni, videtur pensavisse. Quum enim Picardiæ procurator Ambianum arcessivisset « PARMENTIER et CADET, ut quomodo recte panis bonus saluberque confici posset frumento vel madido germinatoque demonstraretur », a Curatoribus obtinuit ut

1. Procès-verbal fait au Collège d'Amiens, etc. 1762.

2. Cf. Carré, *l'Enseignement secondaire à Troyes,* p. 250.

3. *Arch. Dép.* D. 3. f. 120, 149, 153, 18 décembre 1778, 10 janvier, 4 juillet 1783.

« ipso duce discipuli audirent quæ de hoc agerentur ». Curatores vero, huic studio recenti utilique faventes, « illum rogant ut discipulos etiam, si opus sit, quum scholæ non vacent, ad audienda præcepta ducat quæ ad physicæ experimenta attineant ». Item, « schola vacante, discipuli eum comitabuntur ut in experimentis a LAPOSTOLLE de chymia agendis intersint[1] ». Quid hodie aliud fit quum scholasticos nostros officinas fabricasque varii generis obire jubemus ?

Eodem tempore ROLLAND ad Principalem scripsit « de instituendo magistro qui mathematicam physicamque experimentis innixam doceret ». Abbate autem MONIN non respondente, apud Curatores questus est, rogitans « an forte eæ litteræ de re Collegio tam utili ad ipsos non relatæ essent[2] ».

Necesse erat magister novarum rerum jure amantissimus cum præsule moris antiqui quietisque propriæ observantissimo negotium haberet. REYNARD igitur, postquam prœlium acriter inivit, vel Curatoribus interdum auxiliantibus, ut ii de convictorio instaurando profligati erant, ita de renovanda institutione concidit. Unus enim Parlamenti legatus, ROUSSEL DE LA TOUR, cui successit ROLLAND, alter autem, LE REBOURS, qui vices hujus suscepit, timidiore animo et magistrum et Curatores adjuverunt. Varia tamen belli fortuna fuit.

Tum vero in omnibus collegiis una cum philosophia scientiæ biennio præcipiebantur, sed ita ut illa his longe antecederet. Quin etiam ambo philosophiæ professores vicissim docebant logicam, cum ethica metaphysicaque conjunctam, aut physicam, quæ simul mathematicam,

1. *Arch. Dép.* D. 3. f. 147, 149, 4 octobre, 22 novembre 1782.

2. *Ibid.* D. 10. Lettre de Rolland, 19 juillet 1782.

chymiam, anatomicam naturalemque historiam[1] amplectebatur, si quis forte iis omnibus se satis eruditum existimaret. Quum Ambiani ab initio res non ita se haberet, uno magistrorum efflagitante, ambo logicam physicamque, ex quibus conflabatur philosophia, ab anno MDCCLXV ad annum MDCCLXXXIII per vices subierunt[2]. Onus autem duplex humeris ægre sustinuisse plerosque magistros nobis arbitrari licet. Modo hic vel doctrina vel studio, modo ille, paratior aut propensior erat ad alterutrum penitus discendum edocendumque.

Certe Ambiani evenit ut Reynard, cupidine scientiarum flagrans, simul ac in magnas difficultates ultro delapsus

1. V. *Catalogue de la Bibliothèque d'Amiens, Sciences et Arts.* 2049 : « Thèses de mathématiques où seront démontrées les principales vérités théoriques et pratiques du calcul, de la géométrie, des sections coniques, de la sphère, du calendrier, de la gnomonique et de l'astronomie optico-systématique. Ces thèses seront soutenues dans la salle des actes du Collège d'Amiens ». — Amiens, 1769, Vve Godart, in-4. *Ibid.* 1775. Cf. *Affiches de Picardie,* 1er juillet 1775 : « Il y a eu, le 21 et le 26 de ce mois (juin), dans la salle des Actes du Collège d'Amiens deux Exercices sur les Mathématiques. M. L.... a ouvert la première séance par un discours sur l'excellence des Mathématiques... M. M... a résolu plusieurs problèmes très compliqués d'Algèbre, de Trigonométrie et de Gnomonique... M. J..., déjà très avantageusement connu par la manière, on ne saurait plus brillante, avec laquelle il a soutenu l'année dernière des thèses de Logique, de Métaphysique et de Morale, vient de paraître avec plus de succès encore en Physique. »

2. *Arch. Dép.* D. 3. f. 25, 27, 2 août 1765, 3 janvier 1766. Cf. Gréard, *Education et Instruction, Enseignement secondaire,* t. II, p. 40 : « Certains Collèges, cependant, étaient déjà pourvus de chaires particulières : on citait notamment, à Paris, le Collège Mazarin (1752) et le Collège de Navarre; pour tous la règle était posée. »

est, quæstiones gravissimas moverit : quarum altera jam ab ingeniis quibusdam viæ tritæ impatientibus agitata erat, altera novi aliquid majorisque momenti præbebat. Num enim oportebat physicam ex more, ne de logica loquar, fere consensu omnium adhuc latinæ linguæ addicta, perpetuo latine præcipi [1] ? Nonne vero decebat novi generis discipulos, ut scientiis erudirentur, inter scholasticos adscisci ? Si enim physicam in Collegio gallice doceri licebat, inde necessario fieri poterat ut primum quacumque ætate auditores, deinde iidem, vel non studiis liberalibus imbuti, benevole in illam classem admitterentur.

Scilicet Reynard quæ ex conatis consecutura essent non ipse prævidit : nam de principiis quæstione non proposita, tantummodo singula quæque ex ordine egit, prout ratio ipsa postulabat. Quum latino sermone physicæ disciplinam præcipueque experimenta facile explanare nequiret, ut thesis gallice a discipulis propugnaretur primum tentavit. Quam autem Principalis probare abnuit, « quia gallice scriberetur et tres primas philosophiæ partes, id est, logicam, ethicam metaphysicamque non complecteretur [2] ». Hoc uno judicandum est quam certa rerum naturalium cognitio scholasticæ arti obnoxia esset. Curatores tamen statuerunt ut, propter ferias proximas, discipuli, hanc solam thesim meditati, qualiter scripta erat taliter propugnarent, sed ita ut « nihil ex hoc in posterum consequeretur [3] ». Bellum hoc modo coortum ad decem annos tractum est.

1. V. Rolland, *Recueil des Œuvres*, p. 143.
2. Cf. Carré, *l'Enseignement secondaire à Troyes*, p. 226.
3. *Arch. Dép.* D. 3. f. 95, 7 juillet 1775.

Professor igitur inopinate Principalem superaverat, qui cladem acceptam brevi ultus est. Non enim dubium est quin, hujus consilio, Curatores decreverint « ambobus philosophiæ magistris priore anno logicam, metaphysicam ethicamque, posteriore autem statim ab initio physicam latine dictandam esse, nec mathematicam geometriamque amplius tres primos menses præcipiendas, ita ut mathematicæ theses Januario mense nondum confecto propugnarentur. Ambo igitur magistri commentarios suos latine dictabunt explicabuntque ac discipulos exercebunt. Latine theses et scribentur et propugnabuntur ; in iis autem quæ physicæ prælectionem concludent, pariter latine scriptis, logica, metaphysica, ethica physicaque continebuntur, nec aliud nisi physicæ experimenta publica gallice enucleabitur[1] ». Hac vero de re quomodo aliter unquam fierit potuit?

Ergo latina lingua omnino prævalebat. Itaque, etsi Reynard, anno sequente, iterum pertinaciter enisus est ut thesis gallice propugnaretur, duobus patribusfamilias Lutetiam consulto profectis ad illum adjuvandum, Roussel de la Tour respondit hunc magistrum « ingenio, studio, æmulatione præditum esse », se autem ipsum arbitrari, « quanquam id genus humanitatis — id est thesis gallice scripta propugnataque — utile cognituque dignum sit, satius esse

1. *Arch. Dép.* D. 3. f. 110, 7 juin 1776. Cf. Gréard, *op. cit.*, t. II, p. 37 : « Anno Domini 1789, die Mercurii decima sexta mensis Decembris, habita sunt in Collegio Ludovici Magni comitia rectoria Quatuor Nationum... Accessere demum varii philosophiæ auditores ac duo petiere, alterum ne in posterum professores philosophiæ scriptiones suas dictarent in scholis ; alterum vero, ne professores iidem lectiones suas latine, sed vernaculę essent habituri. »

atque etiam necesse per totam philosophiam auditores argumentando recte disputare et eloqui latine nunc quoque edocendos esse ut ad theologiæ, juris medicinæque Facultates paratissimi admittantur[1] ». Hoc enim argumento firmissimo utebantur qui gallicum sermonem philosophiæ studiis inserendum esse negabant : si quem in collegiis morem priscum mutari vis, in Universitatibus eum primo abolere debes.

Confecta res esse videbatur, sed controversia rursum vehementiusque disceptata est. Quamvis enim de linguæ latinæ usu perpetuo Curatores Principali Parlamentoque obtemperavissent, paulo post tamen, nescio quo auctore, consilium ceperunt liberalissimum, ex quo plura manavere quam quæ ipsi profecto præviderant :

« Quum, inquiunt, scholastici in Collegio hujus urbis gratuito publiqueque doceantur, in id, ut fieri solet in Parisiensibus Collegiis, admittetur pro auditore benevolo quivis hoc postulans natuque major quam ut tanquam scholasticus recipiatur, dummodo ne quidquid disciplinam scholarum perturbet, et, antequam in Collegium ingrediatur, Principalem professoremque classi quo introduci velit præpositum urbane convenerit ». Frustra additum est auditores benevolos non minores fore annis duodeviginti nec posse recipi, si « antea, quibuscumque de causis, Collegio expulsi essent[2] ».

Timendum erat ne omnes classes discipulis redundarent imperitis aut disciplinæ moribusque noxiis. Curatores enim

1. *Arch. Dép.* D. 10. Lettre de Roussel de la Tour au Bureau, 28 juillet 1777. — *Append.* IV. — Cf. D. 3. f. 112, 115, 1er août, 5 décembre 1777.
2. *Ibid.* D. 3, f. 119, 16, 19 octobre 1778.

utilitatis communis artiumque honestarum intemperanter studiosi Collegium scholasque omnibus patentes a civitate nuper institutas nullo discrimine habebant. At, credo, quamvis, si verbis ipsis ea quæ decreta sunt interpretaris, promiscue in omnes classes auditores admittendi fuerint, res ipsa verba non secuta est. Certe Curatores de iis solis qui in philosophiam intrarent nominatim edixerant ne ullus reciperetur « priusquam de gallico in latinum atque de latino in gallicum transtulisset quæ a magistro rhetoricæ dictata essent,... ita ut non discipulis ejus mediocribus impar esset [1] ». Inde præcavebatur ne adolescentes litterarum omnino rudes philosophiam invaderent.

Parlamenti vero legatus, ROLLAND, de hoc laborabat ad Curatores scribens : « Quod de benevolis deliberatum est ad quamvis classem pertinere mihi videbatur ; quum asseveretis id in philosophia sola confici, tolerandum est [2]. » Quod autem toleratur non ideo laudatur.

Etsi enim quem exitum mutatæ res habituræ sint non animo perpenderis, ea nihilominus evenient quæ causarum series gignit. Auditores illi qui, optimis artibus parum eruditi, in philosophiam cooptabantur, sane magis physicæ quam logicæ curiosi erant. Sed quod ambo magistri alterna vice utramque præcipiebant, iis molestiam magnam afferebat. Nam REYNARD de illa doctrina collegæ BELLEGUEULE

1. *Arch. Dép.* f. 119, 19 octobre 1778 : « Il ne sera admis au Collège de cette ville aucun écolier en philosophie qu'il n'ait préalablement fait un thème et une version dictés par le professeur de rhétorique : l'écolier ne sera admis qu'en faisant ces devoirs comme les feraient les écoliers médiocres de rhetorique. »

2. *Ibid.* D. 3. f. 138, 1er juin 1781 (Lettre de Rolland, 12 avril 1781).

longe præstare mox constitit. Hoc ubi intellexerunt Curatores, ut posthac alter logicæ, alter physicæ inhæreret, duarum rerum causa statuerunt :

Primum « mathematica, physica scientiæque iis arcte connexæ alio ordine rationeque ac ethica metaphysicaque docendæ sunt » ; deinde « juvenes studiorum expertes mathematicam physicæque partes sibi necessarias discendi facultatem habebunt[1] ».

Sequebatur ut physicam ceteraque præcipi thesesque proponi gallice liceret, logica autem, ut antea, latine discipulis traderetur qui eodem sermone dicerent thesesque propugnarent.

Nec Curatores fefellerat quam grave consilium inivissent, epistula ad Le Rebours haud multo post missa dilucide explanatum :

« Apparet, inquiunt, duas philosophiæ classes, logicam et physicam, non minus vel potius magis alteram ab altera et re ipsa et ratione docendi dissidere quam sextam a rhetorica, ideoque a professoribus illas tam dispares non

1. *Arch. Dép.* D. 3. f. 153, 4 juillet 1783. — *Append.* VIII. — Cf. *Affiches de Picardie,* 25 octobre 1783 : « M. l'abbé Reynard, professeur de philosophie au Collège d'Amiens et fixé dorénavant à la classe de physique, dont l'entrée sera permise à l'avenir aux jeunes gens de la ville ou de la campagne qui n'auront point fait d'études, distribuera, pour la commodité de ses auditeurs, son enseignement en deux cours distincts et séparés, l'un de mathématiques et l'autre de physique. » — Cf. Gréard, *op. cit.,* p. 40. Eodem tempore Lutetiæ, magistro Linguat, philosophiæ professore in Sorbonæ Plessæo, petente, concessum est, invito syndico, ut e duobus professoribus « alter logicam, alter physicam, non jam alterna vice, edoceret ». Sed non videtur illi licentiam datam esse ut auditores humanitatis rudes in scholam acciperet.

posse ad hunc felicem exitum adduci quem cuncti præsertimque Parlamenti Curia sperare queant vel ab optimis magistris, nisi uterque, sibi modum faciens, studio quo magis delectetur se totum dedat. Nec minus liquet mathematicam, mechanicam, chymiam physicamque experimentis fultam triginta abhinc annis partem necessariam conspicuamque institutionis publicæ fieri, civibusque fere omni statu condicioneque eas doctrinas ita usui esse ut plurimus fructus ex iis decerpatur : quisquis enim non suæ ætatis ignarus est, facile intelleget quam illæ scientiæ, mirum in modum progressæ, utiles sint, si quæcumque sunt ad vitam necessaria, quodque ad artes mechanicas apud nos præsertim, id est in civitate mercaturæ, fabricis, tingentium officinis omnino deditæ, spectabit... [1] »

Curatores igitur, quum magistrum alterum logicæ, alterum physicæ assignarent, jure cupiebant hæc studia meliora reddi, in primisque « juvenibus omni statu condicioneque licere ut utiliter assidueque, nonnunquam per duos vel tres annos continuos, eodem docente, mathematicam physicamque colerent, prout liberis opus esset parentesque optarent qui magis ac magis quanti æstimanda essent hæc necessaria sentirent [2] ». Ergo Curatores, quamvis ad utili-

1. *Arch. Dép.* D. 12. Lettre du Bureau à Le Rebours, 29 novembre 1783. — *Append.* IX. Ibidem, quia profecto benevoli auditores physicæ sumptus auxerant, Curatores petunt ut sibi liceat ab omnibus scholasticis pecuniam quamdam quoque anno exigere.

2. Cf. Rolland, *Recueil des Œuvres,* p. 114 : « Il serait nécessaire de varier les instructions pour que tous les enfants puissent s'appliquer à la science, soit pour laquelle ils ont du goût et de l'aptitude, soit qui leur sera nécessaire pour l'état qu'ils embrasseront dans la suite... Faut-il que celui qui n'a ni goût pour l'étude des langues

tatem civitatis solummodo tenderent, nova quædam ad totam gentem salutaria quasi inscii experiebantur. Hæc enim institutio specialis, quæ postea in lyceis collegiisque nostris instaurata est, citius a germine illo exoriri potuisset.

REYNARD autem ipse qui, ut opinor, eam mentem Curatoribus injecerat, nunc voti compos, physicam docendi

(anciennes) ni besoin de les cultiver, reste sans culture et sans instruction ? »

Lettre sur l'Education Publique, d'un Professeur émérite de l'Université de Paris, en réponse au R. P. D. V..., Prieur de..., Religieux Bénédictin de la Congrégation de St-Maur, au sujet des Exercices de l'Abbaye Royale de Sorèze (Bruxelles et Paris, 1777), p. 216 et sq.

Exercice des écoliers qui n'apprennent pas le latin.

« Quoi, des écoliers dans un collège pour y apprendre toute autre chose que le latin ! Et dans un collège de bénédictins !... La langue Latine est celle de la religion ; ce serait assez à des religieux pour la recommander... Sans le Latin, un enfant ne peut entrer dans l'état ecclésiastique, ni aspirer à aucune charge dans la judicature, bien moins encore penser à la médecine : le roi lui-même, dans le règlement du 28 mars de cette année, concernant les nouvelles écoles royales militaires, Tit. I. Art. 6. veut qu'on enseigne aux élèves les langues Française et Latine... »

Exposition raisonnée des principes de l'Université, relativement à l'éducation, par M. l'abbé Gosse, Professeur de Belles-Lettres au Collège de la Marche (Paris, 1788), p. 86 et sq.

« On nous accuse de n'être occupés que de thèmes, de latin et de grec... Vous ne rendez aucun service, dit-on encore, à plusieurs professions de la plus haute importance, telles que celles du commerçant, du financier, de l'ingénieur civil, et de l'ingénieur militaire, c'est un abus qui mérite l'attention du ministre... Quoique l'Université ait élevé dans son sein plusieurs ministres et intendants des finances, et un plus grand nombre de négociants avantageusement connus, on ne peut nier que l'enseignement public n'est d'aucune utilité directe pour la finance et le négoce. »

thesesque proponendi vel latine vel gallice facultatem habebat, dum logicæ professor linguam latinam usurpare, ut olim, pergebat. Sed immoderate victoria usus iterum cum Principali conflixit. Injuria enim, auditores benevolos eodem loco habens quo ceteros in Collegio studentes, ab illis rursus theses propugnari voluit. Principalis vero, benevolorum habitu moreque offensus, juris sui integri servandi cupidus lædique discipulos meros existimans, apud legatum Parlamenti questus est, qui fere his verbis ad Curatores scripsit [1] :

« Classis in Collegio vestro physicæ addicta nec ludo in civitate ad mathematicam artesque docendas publice instituto [2], nec scholis a privatis quibusdam ad chymiam, herbariam naturalemque historiam apertis æquiparanda est, in quibus magister quisque docendi rationem disciplinamque interiorem libere exercet : at contra regula una regendum est Collegium... Si physicæ professori nuper

1. *Arch. Dép.* D. 3. f. 162, 23 juillet 1784. Cf. D. 12. Lettre de Le Rebours au Bureau, 18 juillet 1784. — *Append.* X.

2. *Arch. Com.* BB. 85. f. 134, 28 mars 1758 ; BB. 128. Liasse : « Le plan des leçons à donner paraît ne pouvoir qu'être très avantageux aux habitants de cette ville et aux ouvriers du plat pays domiciliés à proximité de cette ville, et notamment aux artisans, aux ouvriers et simples apprentis, parce que les dites leçons publiques et gratuites les mettront en état de s'instruire sans frais et ne manqueront pas de leur donner du goût pour les différentes professions auxquelles ils se destinent. » — « Etat de l'école de mathématiques, arts, manufacture et commerce de la ville d'Amiens. Liste des élèves pour 1784. » — « Annonce de l'ouverture de l'école de mathématiques, arts, manufacture et commerce pour le 1er octobre, et annonce des cours qui y seront faits, 1784. »

licuit ut, juvenum litteris non eruditorum causa, aut latine aut gallice doceret, nihil de thesibus immutatum est quæ, pro consuetudine Parisiensis Universitatis, nunquam ab auditoribus benevolis propugnantur. »

Quamquam Curatores hæc mandata exsecuti sunt, attamen Reynard non a contentione destitit. Nempe disputari poterat quemadmodum id quod a Curatoribus deliberatum erat de utroque magistro, aut logicæ aut physicæ assignato, enodaretur. Nam physicæ professor, ut ex arbitrio suo latine galliceve dicebat, ita, « ut ordine ideoque utilius præciperet », quoque anno præbere indicem jubebatur quo nuntiaret quidquid vel de mathematica vel de physica anno proximo explicaretur. Veri simillimum est Reynard huic decreto non paruisse. Itaque Curatores, auctore Principali, finem certaminis fecerunt statuendo quod ejus adversarium ab illo loco tam operose occupato in perpetuum deturbaret. Hæc erant crimina abbati Reynard illata :

Professor ille, nimis in mathematicæ physicæque studium incumbens, intra scholarem annum plura complectitur quam ut plerosque discipulos quo ipsi tendant adducat ; auditores omni ætate condicioneque, quos non jam benevolos, sed meros discipulos habet, in scholam contrahens, extra fines solitos progreditur ita ut nescio quid incerti supervacuique ac ideo plerisque prope inutilis præcipiat, quo soli in transitu oblectentur nonnulli auditores, quibus ceterum patent scholæ publicæ in civitate institutæ, a Collegio plane absimiles. Principalis vero postulat ut lingua latina in utraque philosophiæ classe retineatur, atque nullus in eas admittatur, nisi quum ipse per tabellam permiserit.

Quamobrem Curatores sanciunt ut physicæ magister mathematicam physicæque experimenta publica, quibus prælectiones quæque terminandæ sint, gallice præcipiendi potestatem habeat, latine vero physicam in universum et in singula docere cogatur; vetant autem ne juvenes litterarum adhuc rudes, quibus auditiones mathematicæ physicæque, assentiente Principali, obire jus fuerit, cum scholasticis thesium exercitationumque publicarum participes fiant. Ergo jubent physica mane latino sermone, post meridiem gallico doceatur [1].

Principalis non immerito prohibebat quin temere in Collegium ingrederentur scholastici quacumque ætate et condicione, qui forte disciplinæ moribusque obessent, callideque usus est imprudentia abbatis REYNARD ut Curatores ad consilium salutare a Parlamento jam acceptum mutandum fere invitos adigeret. Inde evenit ut offensæ simultatesque privatæ adolescentium commodis misere præstiterint. Quanquam enim classem physicæ non in auditionem publicam abire oporteret, discipulos novos, qui ei periculi aliquid afferrent, excludere, instituendi operis indicem præscribere cavereque ne hanc legem præteriret magister, facile erat, nec necesse docere rursus latine, ita ut artes liberales cunctæ, et in primis physica, non ultra progredi possent. Ambianensi igitur in Collegio pravissima consuetudinis regula vicerat. Attamen REYNARD iterum semel effecit ut theses mathematicæ, quibus adjuncta erant physicæ experimenta, gallice propugnarentur; frustra autem theses physicæ eodem sermone proponi voluerat. Prœlio denique

1. *Arch. Dép.* D. 3. f. 167, 171, 4 mars (*Append.* XI), 30 août 1785. Cf. *Almanach de Picardie,* 1786, p. 23.

continuo fatigatus, quamvis paulo ante petivisset ut per quinque annos provincia sibi prorogaretur, eam remisit pecuniamque annuam emeritus jure obtinuit[1].

Antequam Curatores juberent duo magistros non jam alternis vicibus philosophiam regere, quod quidem, id temporis fere novum, in Universitate Parisiensi ægre tentatum erat[2], iidem, secuti Rolland ac Guyton de Morveau[3], statuerant ut tres magistri vicissim sextam, quintam et quartam regerent. De qua re nunc hodie[4] acriter disceptatur. Sed nobis videtur hanc veterem controversiam minoris momenti esse quam ut tam curiosis oculis perspiciatur. Quidquid enim egeris, aliquid detrimenti vel commodi studiis inferes, nec facile perpenderis utrum satius sit ab eodem magistro discipulos per triennium educari, necne.

Curatores vero Collegii sperabant « fore ut magister professione perpetua plus polleret, quippe qui melius nosceret ingenium intellegentiamque discipulorum, atque discipuli ipsi, mutandæ rationis a novo magistro instituendæ periculi expertes, in studiis tutius citiusque proficerent ». Quid, si magistro imperito vel neglegenti tres annos obsequi cogerentur ? Discipulos autem vel pigros vel tardos, in eadem classe manentes, « juvaret quod alium ducem sectarentur, cui nec præoccupato nec objurganti fidem haberent certiorem ». Num igitur debemus, ut Curatores, suspicari

1. *Arch. Dép.* D. 3, f. 182, 183, 13 juillet, 3 août, 12 décembre 1787.

2. V. Gréard, *op. cit.*, t. II, p. 40.

3. Cf. Rolland, *Recueil des Œuvres*, p. 134-137 ; Guyton de Morveau, *Mémoire sur l'Education publique*, p. 97 et sq.

4. V. l'*Enseignement secondaire*, 21e année, n° 17, 1er novembre 1900, 22e année, n° 10, 15 mai 1901.

magistrum iniquo in nonnullos animo fore, vel etiam, si ita esset, paucorum commoda communi utilitate potiora habere ? Ut de discipulis, ita de magistris Curatores sententiam suam captiosa probilitate potius quam argumentis gravibus firmabant. Licet enim putare professores invicem tribus classibus præpositos æmulatione salutari non solummodo excitatum iri, sed inde oriri posse contentionem periculosam cupidinemque tantam eminendi inter pares ut patresfamilias inconsulte alios aliis postponant ? Non minus fallebat Curatores quod cupiebant, ne magistros præceptionis assiduæ tæderet, « eos fere eodem loco habitos munus idem fastidiosum elementa pueros docendi inter se partiri [1] ». Revera Collegii Ambianensis professores, ut in nostris abhinc triginta annos collegiis solebat, ad eosdem gradus fere omnes promoti, propter superbiam sæpius optabant ut in classes superiores ascenderent [2]. Adde quod stipendio una crescente alliciebantur.

Sed notandum est Curatores tribus regentibus supra dictis prudenter idem salarium attribuisse, ac longo intervallo Guyton de Morveau et Rolland secutos esse, quorum alter rogabat ut magistri a sexta vel a quinta, quum sexta eo tempore in collegiis raro institueretur, ad tertiam vel secundam, alter a sexta ad quartam et a tertia ad secundam ordine transirent [3]. Is tamen existimabat gram-

1. *Arch. Dép.* D. 3. f. 143, 1er février 1782. — *Append.* XIV.

2. *Ibid.* f. 31, 20 février 1767. Quum Delille se munere abdicasset, Sélis ad secundam promotus est, ceterique deinceps ad classem superiorem.

3. Cf. Carré, *l'Enseignement secondaire à Troyes,* p. 154. Oratoriani solebant a sexta ad rhetoricam deinceps transire, ut ipsi magistri, non autem discipuli, repetendo cuncta studia, ex eo proficerent.

maticæ professorem forte non ad rhetoricam habilem fore. Quid, si partes illius rhetor suscipere vellet?

In summa Curatores hinc aliquid instituerant quod minime studiis conduceret, illinc hæsitando tentaverant, lingua latina sublata, iter physicæ aperire quo usque procederet, scientiis omnibus comitantibus, ita ut non longe abfuerit quin novi generis disciplina, latinis quidem græcisque litteris orbata, sed magis ad necessitates vitæ idonea, jam extremo duodevicesimo sæculo inchoaretur.

Si vero civitas Ambianum, voti compos, Collegium administrare per se ipsa potuisset, certe nova quædam audacius molita esset. Sententiis enim philosophorum imbuta efflagitantium ut in collegiis theses gallice propugnarentur, et « lingua anglicana italicaque, forte etiam germanica hispanicaque », necnon historia geographiaque edocerentur [1], atque insuper utilitate propria stimulata, ab anno MDCCLXI, antequam Rolland et Guyton de Morveau libros suos de instituendis pueris edidissent, quum de Collegio instaurando deliberavit, diserte, præter alia, proposuerat « ut classes omnes Sancti Benedicti ordinis monachis committerentur,... ita ut ii linguam germanicam, anglicanam batavamque, mathematicam, historiam geographiamque præciperent, nulla impensa, nullis vectigalibus civitati superadditis [2] ».

Si hanc magistratuum municipalium parsimoniam solitam omiseris, nihilominus agnosces eos novarum rerum cupidissimos fuisse. Attamen civitas minus, ut mihi videtur, historiæ geographiæque curiosa erat quam scientiarum illarum e quibus fructum aliquem excerpendum esse sperari

1. V. *Encyclopédie,* art. *Collège,* III, 1753.

2. *Arch. Com.* BB. 86, f. 105 et sq., 29 octobre 1761.

poterat. Quas quidem excolendas haud semel Curatores timidius voluerunt. Magistratus vero municipii mercaturæ artibusque operosis deditæ, ut e scientiis ipsis aliquid commodi hauriendum esse putabant, ita exterarum gentium sermones nonnullos præcipi in Collegio frustra cupiverant. Hos autem quum multi magistri privatim eo tempore Ambiani docerent, satis constat cives plurimos intellexisse quam necessarii essent ad pueros non litterate, sed utiliter erudiendos [1]. Nam anno MDCCXXXXVI negotiatores, cum Germania, Britannia Bataviaque, ne de aliis regionibus dicam, commercium habentes, curiam propriam sibi creari postulaverant [2]. Atqui eodem anno (MDCCLXI) et ea curia instituta est et magistratus municipales tres illas linguas docendas esse censuerant [3]. Sed reipsa de puerorum insti-

1. V. *Affiches de Picardie,* 17 juin 1775 : « Le sieur Renoult, maître ès-Arts en l'Université de Paris, s'étant déjà annoncé pour enseigner les langues, etc., à Amiens, continue d'offrir ses services aux messieurs et demoiselles, tant chez lui qu'en ville, pour les Langues Française, Anglaise, Italienne et Espagnole, par principes. » Cf. *ibid.* 18 mars 1786.

2. *Arch. Dép.* C. 412. Mémoire pour les négociants de la ville d'Amiens. « Notre commerce avec la *Hollande,* l'*Angleterre,* l'Irlande, Riga, *Hambourg*, le Portugal, l'Espagne et l'Italie, est assez connu pour ne pas souffrir de contradiction. »

3. Arrêt du Conseil d'Etat du Roi du 6 août 1761. — *Arch. Com.* 29 octobre 1761. — Cf. *Affiches de Picardie,* 1795, 30 frimaire an IV (21 décembre 1795). Avis du Jury d'instruction près l'Ecole centrale à établir à Amiens : « 4° Un professeur de langues vivantes, lorsque les administrations de département le jugeront convenable. » (Décret de la Convention du 3 brumaire, 25 octobre 1795). « La langue vivante la plus appropriée aux relations commerciales d'Amiens est l'*espagnol.* On désire, s'il est possible, que celui qui s'en chargera puisse, au besoin, donner quelques principes d'allemand et d'anglais. »

tutione nihil fere mutatum est[1]. Collegium igitur, non modo, præcipiendi ratione vix emendata, non floruit, sed, dissensionibus perpetuis laborans, senuit et, republica labante ac in præceps ruente, tandem periit.

Die duodevicesimo Julii MDCCLXXXIX necessario decretum fuit ut « Collegio discipuli excluderentur, in quo habitaret legio cui nomen erat DE CONTY excubiasque agerent cives armati[2] ». Videtur autem Collegium, anno scholari ineunte, hospitio scholasticos iterum excepisse[3]. Quamvis enim Curatores, si chartis publicis credas, postremum duodevicesimo die Decembris MDCCLXXXIX deliberaverint, scholæ non eo abhinc tempore vacaverunt. Quin etiam Consilium Communis de institutione publica cogitabat, hanc in collegiis nullam esse existimans : « Ratio docendi, aiebat, nec ad gentem nec ad rempublicam accommodatur. » Interdum quidem privati magistri rectius pueros informant, sed « nihilominus optandum est eos artem tam magni momenti solos exercere ita spectatos ut universi cives de illorum virtutibus, ingenio scientiaque, ut æquum est, certiores sint[4] ». Tempestate igitur illa, qua animi perturbati incerto errore fluitabant, tamen apparebat institutionem

1. V. Compayré, *op. cit.*, t. II, p. 291 : « Rien de sérieux n'avait été fait depuis 1762. Malgré de louables efforts, la routine triomphante avait repris son train ordinaire. »

2. *Arch. Com.* BB. 98. f. 129, 18 juillet 1789. Cf. *Arch. Dép.* D. 3. f. 191, 18 juillet 1789.

3. *Arch. Dép.* D. 3. f. 192, 11 septembre 1789 : « Le Bureau a nommé M. Gorin, professeur d'éloquence, pour remplir la place de principal vacante par le décès de M. Monin. » Cf. *Affiches de Picardie*, 17 octobre 1789 : « On donne avis que l'on fera la rentrée des classes au Collège d'Amiens le jeudi 22 de ce mois. »

4. *Documents pour servir à l'histoire de la Révolution française*

publicam, si quid immutanda esset, non sine periculo magistris imperitis traditum iri. Itaque, postquam ista in confusione aliquandiu versata est, *Conventio* in vicem collegiorum vel torpentium vel abolitorum scholas *centrales* substituere tentavit.

Collegium vero Ambianense, sicut cetera, fortunæ rerum obnoxium, omnes casus tulit, omnes calamitates hausit. Semel iterumque a Curatoribus, vel invitis, pecunia sumpta est « ad impensas officinarum pauperibus institutarum sublevandas [1] ». Decembri mense MDCCLXXXX illi se munere abdicaverunt. Quum autem Januario MDCCLXXXXI professores, tribus exceptis, jusjurandum legitimum detrectavissent, iis successerunt, post longam moram difficultatemque, presbyteri et laici. Deinde, quarto et vicesimo Maii die a Consilio Communis publico novi Curatores delecti sunt, duo magistratus municipales, duo optimates, quattuor cives, ex quibus Episcopus Principalisque, qui cuncti frustra rogaverunt ut Collegii sumptui parceretur. Anno sequente in « Recessu » civium armatorum duo centuriæ habitaverunt, et anno MDCCLXXXXIII Curatores alii designati sunt qui quarto Decembris die primum deliberaverunt. Ad extremum anno MDCCLXXXXIV in ædificiis Collegii, carceris loco, inclusi sunt cives nonnulli [2] qui tempestate illa populari habebantur suspecti.

dans la ville d'Amiens, t. II, p. 15. Mémoire dressé en exécution de l'arrêté du Conseil municipal du 25 février 1790.

1. De hoc ceterisque vide *Documents pour servir...*, t. II, III, IV. Cf. Darsy, *op. cit.*, p. 303-314.

2. *Affiches de Picardie*, 20 germinal an II (9 avril 1794). Cf. Darsy, *les Doléances du peuple et les victimes*, *Souvenirs de la Révolution en Picardie* (passim), Amiens, 1887.

CONCLUSIO.

Inquirenti illi quæ fuerit olim apud nos institutio puerorum forte non videbitur omnino supervacanea hæc historia Collegii Ambianensis, post Jesuitas expulsos instaurati, eo tempore quo palam erupit, quæ fere adhuc clandestina manserat, illa contentio quam philosophi, rerum novarum studiosi, cum clericis, irrationalis usus observantissimis, non ita pridem iniverant. Universitas vero Parisiensis, quanquam Jesuitas invisos habebat, consuetudini obsequens, prœlii hujus minime particeps fuit, quod videlicet parvi momenti esse existimavit.

Ambiani autem, priore loco magistratus municipales, quum de Collegio renovando deliberatum est, deinde Curatores, dum illud fere soli administrabant, alii audacius, alii timidius, priscum morem emendare haud immerito conati sunt. Quærebatur enim an oporteret magistri sæculares aut etiam laici in vicem regularium quorumlibet, qui non multo docendi ratione animorumque habitu Jesuitis dissimiles erant, succederent, necnon aliqua doctrina inaudita discipuli erudirentur, aut certe scientias jam cognitas planius ac rectius lingua vernacula perdiscerent.

Professores quidem prope cuncti e clericis sæcularibus electi sunt, sed ex Universitate Parisiensi originem plures ducebant; si vero perpauci Collegio laici, adjuvante ROLLAND, difficulter irrepserunt, at saltem nullus magister vel regu-

laris vel alienigena ex eo die pueros instituit : quo nihil melius in rebus tam dubiis optandum erat.

Scientiæ autem, ut litteras omittam semper ex more eodem propemodum traditas, mathematicam dico et mechanicam, chymiam physicamque, quæ, mirum in modum progressæ, institutionis publicæ pars conspicua necessariaque paulatim fiebant, nova ratione sermoneque nostro aliquandiu benevolis auditoribus simul ac meris discipulis monstratæ sunt, Curatoribus auspicibus, ita ut institutio quædam specialis modeste inchoata sit, qua aditus ad artes varias, quibus exercendis non studiis liberalibus opus est, jam tum pateret. Civitas vero, ut opinor, si Collegium arbitratu suo regere potuisset, totam disciplinam in melius mutavisset. Illa enim sentiebat ita utiles ad mercaturam amplificandam fore linguas exteras, germanicam, anglicanam batavamque, ut eas doceri scholasticos cuperet. Si igitur scientiis linguisque exteris historiam geographiamque, quas pariter magistratus municipales præcipiendas censebant, partemque philosophiæ moralem, in collegiis jamdudum usitatam, ac linguam gallicam diutius neglectam adjunxeris, institutionis illius, quam recentem nuper vocavimus, summam invenies.

Quod autem ad educationem ipsam disciplinamque collegiorum interiorem attinet, quæ duodevicesimo sæculo vigebant, nihil ex iis fere mutandum fuisse arbitror, nisi ut sine respectu religionis magistri discipulique in illa admittantur[1]. Severitate enim æquabili etiamnunc scholasticorum

1. *Arch. Dép.* D. 3. f. 3, 22 mars 1763 : « Règlement pour la discipline du Collège. Art. 1er. On ne pourra recevoir pour demeurer dans le Collège, à quelque titre que ce soit, que ceux qui font profession de la religion catholique, apostolique et romaine. »

labori moribusque consulendum est. Præmia ad æmulationem excitandam idonea sunt, dummodo, non liberalius æquo distributa, aliquid pretii habeant. Necesse est, si velis studia non in deterius labi, ut discipuli, antequam ad classem superiorem transeant, sedulo inspiciantur manereque in classe inferiore, si opus sit, cogantur. Oportet etiam ut magistris omnibus Collegiique præsuli scholastici justam reverentiam præstent. In primis vero, si quis eorum perditus mores æqualium, vel extra vel intra muros Collegii, depravare queat, sine ulla mora exturbetur. Ceterum in Collegio ipso habitantibus alumnis, si summa diligentia benevolentiaque, ut decet, custodientur, melius erit ac si privatis hominibus eos trades nihil aliud quam ex eo quæstum facientibus.

Ne vero in alia quæstione morer de qua fere omnes consentiunt, breviter memorabo a professoribus, doctrina plerisque eruditissimis, exigendum esse ut accurate toto munere fungantur, ex regula nihil derogent discipulosque doceant pro viribus suis, quippe qui se ipsos libere huic officio, vel ingrato, obstrinxerint. Præterea necesse est, non solum ut, honeste vivendo privatim, omnium existimationem sibi concilient, sed etiam verecunde extra domum scholamque verbis scriptisque temperent, ne propriam dignitatem periclitentur aut corpori, cui inserti sunt, aliquid detrimenti afferant.

Pluris tamen interest, ut prospere Collegio succedat, præsulem eligi virum strenuum, prudentem, benignum, ad imperandum habilem, dignum quem administri vereantur sequanturque libenter. Sed, ut revera polleat ille, potestate peculiari utetur certis legibus definita, quas nemini

violare licebit, ut in unum caput eventus utique recidat.

Verum enim ducem illum, magistros illos, prope uno animo viventes, qui ad officium vel suo periculo explendum idonei paratique sint, nusquam facilius reperies quam in cœtu hominum utilitatis communione sociato, qualis est Societas Jesu, aut in corpore quodam instar Universitatis Gallicæ publice instituto.

APPENDIX.

I.

(*Archives Communales*, AA. 25, p. 26-27. — Registre concernant l'administration de l'Hôtel de Ville).

A M. ROUSSELOT, *vicomte et mayeur de Dijon.*

Du 15 septembre 1763.

MONSIEUR,

Nous avons reçu depuis peu de jours votre lettre datée par erreur, à ce que nous croyons, du 1er août au lieu du 1er septembre. Nous y répondons avec tout le zèle qu'inspire la confraternité.

Il est vrai, Monsieur, que nous seuls avons nommé le principal et les professeurs de notre collège, non comme fondateurs, quoique nous prétendions l'être, mais en vertu d'arrêt du Parlement qui nous a autorisé à le faire par provision.

Quant à l'administration, nous avons subi la loi générale par l'édit du mois de février dernier ; ainsi nous ne pouvons à cet égard vous donner, Monsieur, aucune instruction particulière.

Nos droits sur le collège reviennent à peu près aux vôtres. Son premier établissement se perd au delà du XIIIe siècle. C'était d'abord un hôpital où de pauvres écoliers vivaient uniquement d'aumônes sous l'inspection de l'écolâtre que son bénéfice obligeait alors de les instruire ou faire instruire gratuitement ; nous ne voyons pas qu'ils aient joui d'aucun bien avant 1237, qu'ils commencent à recevoir de différents bienfaiteurs des donations trop modiques pour mériter le titre de fondateurs du collège. Ce titre fut mieux acquis par la ville qui dans la suite attribua aux maîtres et régents des pensions qu'elle paye encore aujourd'hui et fournit en différents temps des sommes considérables

pour la reconstruction de la maison. Lorsque les ci-devant soi-disant Jésuites y furent introduits en 1607, elle n'avait encore qu'un revenu très borné. C'est pourquoi dans le concordat fait avec eux on leur permit d'acquérir par dons et legs jusqu'à 5,000 livres de rente avec réserve de la propriété pour le collège ; les fonds augmentèrent en effet par cette voie, mais encore plus par l'union de plusieurs bénéfices, de sorte que notre collège jouit présentement de plus de 24,000 livres de rente que nous avons pleinement réclamé dans l'unique vue d'empêcher qu'il en soit rien distrait au profit des créances de la ci-devant société.

Voilà, Monsieur, l'histoire de notre collège et la nôtre : puissiez-vous y trouver quelque chose d'utile pour vous.

Nous avons l'honneur d'être, etc.

II.

(*Archives Départementales,* D. 9. — Liasse).

A Messieurs les administrateurs du collège d'Amiens.

Paris, 15 octobre 1776.

